ERNEST. SALOMONIS CYPRIANI
ATHENAEI CASIMIRIANI DIRECTORIS
ET P. P.

16

# DISSERTATIONVM ECCLESIASTICARVM PENTAS

I. DE SVDORE CHRISTI SANGVINEO

II. DE SVDARIIS CHRISTI

III. DE FASCIIS CHRISTI

IV. DE MORTIBVS SOCINIANORVM

V. DE PICTVRA TESTE VERITATIS SVB PAPATV

IENAE
*SVMTV BIELCKIANO*

STANNO NISIANO
EXCVDEBAT HENRICVS BEYERVS
ANNO M DC CIV

Index adjiciendus in fine

58700 (16)

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

# DISSERTATIO PRIMA
## DE
# SVDORE CHRISTI
## SANGVINEO.

# CAPVT I.

§. 1. *Recentiora ſudoris ſanguinei exempla.*

§. 2. *An Chriſtus vere ſudorem emiſerit? An arti fabrili operam dederit?*

§. 3. *Cauſſa ſanguinei ſudoris in Chriſto.*

§. 4. *Meditatio Catharinae Senenſis.*

I.

SVDOREM ſanguineum, ſi Chriſtum excipias, mortalium quemquam profudiſſe, etſi auſus eſt negare Syluaticus [a], congeſſerunt tamen viri docti, ex indubitatae fidei ſcriptoribus, illuſtriſſima exempla [b], quibus nos recentiora quaedam adiungemus. Primo autem Daniae litteratae ornamentum, Thomam Bartholinum, audiamus, teſtem vt oculatum, ita harum rerum peritiſſimum. *Ipſe non paucos noui*, inquit, *qui quotiens ſudant leui etiam de cauſa, induſium ſub alis ſanguineo colore tingunt* [c]. Idem ſe vidiſſe, Petrus Daniel Huetius de concordia rationis & fidei lib. II cap. XIX teſtatus eſt. *Quod*, ait, *ſanguine ſudauit Chriſtus, vehementiam quidem doloris, id oſtendit, minime tamen pro miraculo habendum eſt. Naturaliter id fieri docent Philoſophi & Medici, plurimaque exempla ſuppeditant hiſtoriae, & nos virum hodieque ſuperſtitem nouimus morbo hoc ſaepius tentatum.* Hue-

(*a*) Ap. Caſp. a Reies in campo Elys. iucund. quaeſt. p. 1112. Negant etiam centuriatores Magd. cent. 1 lib. 1 cap. 10. p. 433. (*b*) Claſenius exerc. ad paſs. Dom. l. 2 c. 2. Bartholin. de cruc. Chriſt. p. 161. Voetius P. II diſp. ſelect. p. 172. Clotzius de ſudore Chriſti exerc. XII p. 101. Voglerus phyſiolog. paſſ. Chriſti c. 3 & ali paſſim. (*c*) l. c. p. 163.

Huetio VVedelium iungimus, qui exercitationum medico-philologicarum decade III exercitatione II: *Nos ipſi*, inquit, *ante aliquot annos tale quid vidimus in foemina ſcorbutica, cui ſub axillis ſudor ſanguineus exiens linteamina manifeſto tingebat.* His comes eat, quem honoris cauſſa nomino, vir ampliſſimus ac mihi ſingulariter obſeruandus, D. GVNZELIVS, a quo aliquoties relatum memini, ſe, cum Lugduni Batauorum in familia clariſſimi le Mort degeret, eiusque clauderet latus, febricitantem plebeium ſuis oculis vidiſſe, qui amplius vna vice ſudorem ſanguineum emitteret. Fuit & nuper Halberſtadii Anna quaedam Eua, enthuſiaſticis nugis turgida mulier, quam perhibent ſanguineo ſudore diffluxiſſe [d]. Pontificii de ſanctorum ſuorum corporibus idem ſubinde tradunt, quos ſenſu ſuo patimur abundare. Agnetis de Monte Politiano corpori huiusmodi ſudorem adſcribunt ſanctorum acta, doctiſſimi Papebrochii ſtudio adhuc edita [e]. *Accidit*, inquiunt, *vt cum aliquando arca praedicta aperiretur coram primoribus oppidi, multisque aliis aſſiſtentibus, vt ſacrum corpus ſudarit ſanguinem: quod cum credere referentibus quidam nollent, rurſum ipſo paſcbatis die cruentus ſudor copioſius prorupit.*

II. Sed haec autoribus ſuis relinquentes ad ſudorem Chriſti tranſimus, quem olim DOCETAE, a quibus Domini corpus phantaſma dicebatur, haud obſcure in dubium vocarunt, aduerſus quos Ioannem apoſtolum in



(*d*) Celeberrimus Schelvvigius in der ſectiriſchen Pietiſterey P. II p. 229. (*e*) Tom. II April. p. 814.

proelium duxiſſe Spiritus Sanctus creditur, vt humanam naturam ſingulari ſtudio Chriſto adſereret [f]. Eamdem & Valentinum impugnaſſe, ex epiſtola ad Agathopodem palam eſt [g]. *Cum omnia*, inquit, *ſuſtinuiſſet, erat continens, diuinitatem operabatur Ieſus, edebat & bibebat ſingulari modo, non reddens cibos. Tanta ei inerat continentiae vis, vt etiam nutrimentum in eo haud interiret.* Docebat quippe, Chriſtum in ſubſtantia corporis noſtri non fuiſſe; ſed ſpirituale neſcio quod corpus de caelo deferentem, quaſi aquam per fiſtulam, ſic per Mariam Virginem transmeaſſe, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem, vt Tertullianus loquitur cap. XLIX de praeſcriptione. Idem hodienum Armeni docent, quorum patriarcham cum Salomo Schvveigerus accederet, doctrinam ſectae cogniturus; abire ad monachum quemdam Armenum iuſſus eſt, inter ſuos eruditionis laude vnum omnium maxime florentem. Ibi cum percontaretur, num Chriſtum verum hominem eſſe, ac excrementa, vt ſolent mortales, reddidiſſe exiſtimaret; id reſponſi tulit, verum hominem non eſſe, quod ex virgine natus ſit, e qua fieri nequeat vt naſceretur homo: Chriſtum χῆμα eſſe, φαντασίαν ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς, ex epiſtola ad Romanos [h]: non edere Chriſtum aut bibere ſolitum, eoque conſueta excrementa, quale eſt ſudor, non emiſiſſe, licet id facere, dum viueret, paſſim crederetur [i]. At enim

(*f*) 1. Ioh. IV, 3. conf. Ittigius de haereſiarch. ſect. II c. X §. 2. (*g*) Verba exhibet Clemens Alexandrinus l. III Strom. f. m. 450 ſeq. (*h*) Rom. VIII, 3. (*i*) Schvveig-

nimuero quum ex ſacris litteris conſtet, Chriſtum hominem excepto peccato, humani vix quicquam a ſe putasſe alienum; facile diluuntur haec ſomnia Armenorum. Frequentia enim itinera, calidior regionis aer, ac grauisſimi labores, quos vltro ſubiit Chriſtus non potuerunt non ſudorem ſaepe numero ciere filio hominis. Speciatim vero conſtat, Ioſephum fabrum fuiſſe, & quidem fabrum lignarium. Non eſt autem probabile, Chriſtum labores ac ſudorem ſubterfugiſſe; quin potius vtrique parenti opem tulit ſedulam: quapropter etiam fabrum vocant irriſores Marci capite VI; & gentiles olim Chriſtianos rogabant: quid faceret fabri filius? quibus reſpondebatur: feretrum Iuliano fabricare. Hinc & Iuſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone autor eſt, Chriſtum, cum in hominibus eſſet, aratra & iuga confeciſſe: quo ſpectat interpretum coniectura, Dominum in concionibus ſuis, nunc a iugo, nunc ab aratro ſimilia petiiſſe, quod in his rebus conficiendis operam ſuam antea collocaſſet. Quae opinio & Bellarmino placuit lib. I de arte bene moriendi cap. XVI, ac nuper demum orbis litterati ornamento, Guilielmo Caue. ſcribit enim ſub initium hiſtoriae litterariae de Chriſto: *Vitam dum egit priuatam, arti fabrili ſub Ioſepho operam dedit.*

III. Nos igitur, qui pro certo habemus, humani generis redemtorem humanam naturam aſſumſiſſe, non illud ſolum affirmamus, Chriſtum vt alia excrementa, ita & ſudorem, emiſiſſe; verum etiam ſanguinei ſudoris cauſſas, rationis & ſcripturae ductu, perſpicue aſſignamus.

 Ni-

gerus in itinerar. Conſtantinopolitano l. II c. 65.

Nimirum ſudoris materia tenuior eſt, ſub vaporis ſpecie exſpirans, ac calore potiſſimum foras protruſa per vaſcula ſanguinem vehentia, inque extremam cutem eiusque poros deſinentia, vnde in cuticulae abraſione ac laeſione pororum ſanguis ſtatim minutisſimis guttulis prorumpit. Quoties igitur ſeroſior quidam humor calore attenuatus per cutis ſpiracula vaporis ſpecie prodit, ac in ſummam frigidioremque cuticulam defertur, coeunt halitus illico in guttas tanto maiores, quo apertiores ſunt cuticulares meatus ſeu pori. Illas guttulas ſudorem dicimus, cuius primariam cauſſam ſubinde affectus animi eſſe, vel in iis manifeſtum eſt, quibus, licet fortiſſimi ſint, ſubito ac praeter morem oratio habenda eſt in multitudinis conſpectu. His, inquam, ſudor non minus, quam fatigatis ac aeſtuantibus ſolet erumpere. Quod ſi in explicando Chriſti ſudore obſeruamus, expedita propemodum res eſt. Etenim ſanguinei ſudoris cauſſa fuit ἀγωνία Chriſti, vt palam docent verba Lucae: *Et conſtitutus in agonia intentius orabat. Erat autem ſudor eius ſicut guttae ſanguinis decurrentes in terram.* Vox ἀγωνία, quae ſemel tantum in ſcripturis occurrit, notat promtitudinem rem quampiam aggrediendi, ſed cum timore ac trepidatione, vt ex Graecis Philoſophis Voglerus obſeruauit [k]. Chriſtus igitur, cum ſentiret iram diuinam & poenas totius mundi peccatis promeritas; cum ignominioſam mortem inſtare intelligeret; cum inferni perſentiſceret dolores; imo cum pro vnoquoque mortem guſtaret [l]; vtique

---

(k) l. c. c. 2. (l) Ebr. 11, 9.

que ſumma triſtitia & horrore fuit correptus. Verum quia ſimul ingenti amore genus humanum proſequebatur, magnaque animi contentione id perfecturus erat, ſine quo mortales ſalute aeterna non poterant non excidere; neceſſe omnino fuit, ineffabili hac agonia, contrariis hisce affectibus, horrore nimirum & alacritate, ſanguinis maſſam magnopere perturbari, aut diſſolui potius ac plane effundi. Igitur mirum non eſt, ſi accedente illa opus redemtionis perficiendi alacritate, in ſtupenda hac lucta, ipſe ſanguis per vaſcula ſudoris ſecretioni alias deſtinata, iuxta cum ſudore prorupit, cum vel ſola cordis anguſtia ſudorem cieri ſaepenumero intelligamus. Quamquam non diffitemur, multa eſſe in hac agonia, quae cum aſſequi non poſſit, humana ratio mirari potius, quam mirari debeat. Vel ipſa pororum ac glandularum, ſudoris ſecretioni alioqui inſeruientium, ſtructura faceſſit nobis negotium, cum vaſcula illa excretoria minima ſint, viſumque noſtrum eludant, eoque etiam praeter naturam ampliata nil niſi ſerum prorſus aquoſum, admiſſura videantur; Chriſtum vero ſanguinis grumos emiſiſſe ſcriptura doceat. Verum duo ſunt, quibus vaſcula illa, vt ita loquar, ſudorifera non adeo parua eſſe, probari poſſe arbitror. Primo Anatomici docent, humanum corium, ſi exſiccetur, prae reliquorum animalium cute poris & foraminibus tam amplis inſtructum eſſe, vt ad tectoria omnino ſit inutile. Deinde notum eſt in vulgus, ſudorem ſaepe adeo craſſum protrudi, vt, in facie praeſertim, inſtar ſalis concreſcat.

IV. Ceterum quas huius ſudoris cauſſas alii commemorent, exponi nil refert. Non poſſum tamen, quin

Ca-

Catharinae Senenſis peculiarem ſententiam, qua paſſionis deſiderium, ſtudiumque promouendae omnium omnino hominum ſalutis, huius ſudoris cauſſam conſtituit, ex Papebrochianis ſanctorum actis adſcribam [m]: *Dicebat, quod in illis verbis: pater transfer calicem hunc a me &c. viri perfecti & fortes non debent intelligere, ſicut debiles timentes mortem, quod Saluator petierit, paſſionem a ſe transferri, vel amoueri: ſed, quia ſemper biberat a conceptione ſua, & tunc propter propinquitatem temporis cum anxietate bibebat calicem deſiderii ſalutis humanae, petebat, quod cito perficeretur illud, quod tanto tempore cum tanto deſiderio affectabat; vt ſic calix ille, potatus per eum tam diu, modo terminaretur: quod procul dubio non erat petere remotionem paſſionis & mortis, ſed potius accelerationem. Quod ſatis clare ipſe dominus expreſſerat, cum dixit Iudae: quod facis, fac citius. Ipſa* (Catharina) *in quadam abſtractione didicit, quod Saluator triſtitiam & ſudorem ſanguineum paſſus eſt, orationemque illam fecit propter illos, quos praeuidebat fructum ſuae paſſionis non debere participare: verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat. Quam ſi non appoſuiſſet, dicebat ipſa, quod omnes ſaluati fuiſſent.*

CA-

(*m*) Tom. III April. p. 905.

# CAPVT II.

§. 1. *Verba Lucae* XXII, 44 *afferuntur. Lucas an medicus?*

§. 2. *Locus eſt genuinus, nec ab orthodoxis ſuppoſitus Lucae. Diuinae prouidentiae circa ſcripturam argumentum.*

§. 3. *Locus in quibusdam codicibus deſideratus, de fraude Pelagianorum aut orthodoxorum; ſed incuria ſcribarum.*

§. 4. *Chriſtus non ſola naturalis mortis formidine ſudat.*

§. 5. *Vere ſudorem ſanguineum emittit.*

§. 6. *Cruſius, Ic. Mindenſis, notatur.*

I.

SANGVINEVM Chriſti ſudorem, a ceteris euangeliſtis ſilentio praetermiſſum, Lucas his verbis deſcripſit: Ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν. *Factus vero eſt ſudor eius vt guttae ſanguinis deſcendentes in terram.*

Cur autem in hac re litterarum monumentis conſignanda Spiritus Sanctus Lucae potius, quam aliorum, & ſolius quidem, vſus ſit opera, eruditi ſollicite inquirunt. Euſebius lib. III hiſtoriae cap. IV Lucam arte medicum vocat, quem ſecutus Hieronymus cap. VII de ſcriptoribus eccleſiaſticis & in cap. VII Eſaiae *Euangeliſtam Lucam*, inquit, *tradunt veteres eccleſiae tractatores medicinae artis fuiſſe peritiſſimum.* Placuit quippe veteribus & ad poſteros ſecure peruaſit haec ſententia, a Paulo euangeliſtam deſignari, quando ad Coloſſenſes ſcribens Lucae medici fecit mentionem [n]. Inde porro coniectant, ſudorem Chriſti Lucam deſcripſiſſe, quod medicorum eſſet, res medicas commemorare. Verum nobis pro ratione eſt diuina voluntas, ſiquidem ſententiam de Luca Medico ſatis vulgatam, ſatis ratam eſſe, cum Calixto negamus [o].

II. Maioris momenti quaeſtio eſt, an genuinus ſit hic locus, nec Lucae ſuppoſitus. Nam Hilarii aetate in codicibus nonnullis, quales & Hieronymus vidit, deſideratus eſt. Teſtatur id Hilarius decimo de Trinitate. *Nec ſane ignorandum a nobis eſt*, inquit, *& in Graecis, & in Latinis codicibus complurimis, vel de adueniendo angelo, vel de ſudore ſanguinis, nihil ſcriptum reperiri. Ambigentibus igitur, vtrum hoc in libris variis aut deſit, aut ſuperfluum ſit, incertum hoc nobis relinquitur de diverſitate librorum* [p]. Non mouerer Hilarii teſtimonio, ni-

---

(n) Coloſs. IV, 14. (o) Concord. euang. p. m. 3. (p) Opp. p. m. 206.

niſi idem Hieronymus aſſereret, cum Chriſti corpus nihil paſſum eſſe, publice defendat Hilarius, quem Galli, ſtudio in ciuem ducti, librum edidiſſe, in quo illum errorem retractauerit, ſcribunt quidem, ſed difficulter probant [q]. Quod ad rem ipſam attinet, in tanto eccleſiae conſenſu dubium eſſe non poteſt de diuina horum verborum origine. Vt enim alios patres veterumque litanias praetereamus, ſane Iuſtini Martyris & Irenaei codices ea exhibuerunt. Iuſtinus ſic loquitur: *In libris, qui ſunt ab eius diſcipulis, ipſorumque ſectatoribus compoſiti, memoriae mandatum eſt, ſudorem ipſius tanquam guttas ſanguinis defluxiſſe, eo deprecante & dicente: tranſeat, ſi fieri poteſt, poculum hoc* [r]. Irenaei verba ita ſonant: *ſi nihil ſumſiſſet ex Maria, nec lacrymaſſet ſuper Lazarum,* οὐδ' ἂν ἵδρωσε θρόμβους αἵματος, *nec ſudaſſet globos ſanguinis* [s]. Praeterea ſi quis locum ſuppoſitum velit, non video qua ratione & a quibus potuerit confingi. Non ſane a Docetis, quibus magnopere aduerſatur. Nec ab Arianis, cum in ſcripturis lectus ſit, antequam Arius naſceretur. Porro autem ab orthodoxis non eſſe excogitatum, facile admittent, qui a ſaeculorum ſcholaſticorum genio Iuſtini Martyris aeuum diſcernere didicerunt, quo piae fraudes in laude vtique non ponebantur. Vt taceam



(q) Vid. Chemnitium in locis P. I p. 178. (r) Dialog. c. Tryphon. opp. p. m. 331. (s) l. III, c. 32. adu. haereſ: quem de ſudore Chriſti locum, non vero id, quod de fletu praecedit, Epiphanium in Ancorato p. 31 reſpexiſſe, primus, ni fallor, obſeruauit nuper cl. Grabbe in doctiſſ. ad h. l. ſcholiis p. 260.

ceâm adiurationes orthodoxorum, quibus codices ſuos deſcripturos obſtringebant, cuius rei ſtupendum exemplum eſt apud Euſebium quinto hiſtoriae cap. XX. Hic ergo de patribus, viris bonis & prudentibus, ſic iudicari par eſt, tutiſſimum ipſis viſum eſſe, ſcripturam relinqui prorſus incorruptam, ne aduerſus haereticos coaeuos inſerta, exortis nouis haereſibus, olim ipſis orthodoxis opponerentur. Sane enim ſi adieciſſent haec verba Docetis nocitura, adieciſſent contra, quod in rem ſuam verterent Ariani. Vnde mihi longe maximum diuinae prouidentiae documentum illud videtur, quod numquam alterutra natura Chriſti ſola impugnata eſt; ſed ſimul ac inſurgerent, qui diuinam impugnabant, fuerunt ſtatim, qui & humanam inficiarentur. Nam hac ratione factum eſt, vt orthodoxi ab adulteranda ſcriptura abſtinere manus cogerentur, ne aduerſus humanae naturae hoſtes ſacris litteris quicquam admiſcentes diuinae naturae hoſtibus arma ſubminiſtrarent. Ponamus autem, ſimplices quosdam homines & orthodoxos violentas manus ſuis olim codicibus intuliſſe; non apparet tamen, quomodo adulterina ſcripturae pars ita irrepere potuerit, vt mox ab vniuerſali eccleſia, & doctis ſapientiſſimisque praeſulibus, reciperetur.

III. Sed enim illud nunc quaeritur, ſi genuina ſunt haec verba, a quibus olim eraſa fuerint. Pelagianis ſcelus tribuit Thomas Bartholinus [t], *damnandi omnino*, inquiens, *falſi criminis Pelagiani, qui hunc locum vero Chriſti corpori fauentem olim expunxerunt.* Condonandus

(t) Hypomn. IV de cruc. p. 171.

dus error medico falcem in alienam meſſem immittenti; notandus tamen, ne incautos ſeducat vir notiſſimae eruditionis. Pelagius citra dubium poſt annum demum CCCC haereſin, a Docetarum illa multum diuerſam, ſpargere exorſus eſt. At Lucae verba iam deſiderabantur aetate Hilarii, qui, diu poſt editos de Trinitate libros, anno CCCLXIX fecit viuendi finem. Curcellaeus putat, eos, qui hunc locum olim ſuſpectum habuerunt, ſuſpicionem ex codicum diuerſitate non hauſiſſe, ſed ex re narrata, quae ipſis abſurda & contradictoria viſa ſit [u]. Beza & Calixtus orthodoxos accuſare videntur. Ille ait: *Digni ſunt magna reprehenſione, qui ne videantur Chriſto tribuere tam inſignia humanae infirmatis argumenta, partim iſta extenuant, in quibus tamen poſita eſt noſtrae pacis & cum DEO reconciliationis ſumma: partim etiam eo imprudentiae prouecti ſunt, vt nonnulla tamquam ab haereticis infarta expunxerint. Siquidem Hieronymus & Hilarius indicant, in plerisque Graecorum & Latinorum codicibus non fieri mentionem nec de ſudore ſanguineo, neque de angelo confortante* [x]. Hic ſcribit: *Sine dubio eraſa vel omiſſa fuerunt ab illis, qui praepoſtero ſtudio gloriae Chriſti conſulere, & infirmitatis argumenta ab eo remouere voluerunt* [y]. Id placuit etiam Sixto Senenſi, cuius ſententiam Chriſtophorus Chriſtophori Sandius amplectitur, *ita recte*, inquiens, *Sixtus Senenſis ſuſpicatur* [z]. Verumenimuero multo plura delenda erant or-



(*u*) In praef. in N. T. (*x*) not. ad h. l. (*y*) lib. VI c. 8 concord. (*z*) interpr. euangeliorum p. m. 148.

orthodoxis, ſi per ſcripturarum corruptionem humanae infirmitatis argumenta a Chriſto remota voluiſſent, ſiquidem tota hiſtoria euangelica illis plena eſt. Probabilius illud videtur, ſcribae cuiusdam, in exigua quadam eccleſia viuentis, incuria primum omiſſa fuiſſe, cuius codicem alii, ab apoſtolorum αὐτογράφοις remotiores, deinceps ſecuti ſunt. Enimuero paucorum codicum ille defectus erat, & maxime Latinorum, vnde Graecae eccleſiae antiſtites numquam, quod ſciam, hunc defectum annotauerunt.

IV. Ceterum verborum ſenſus facile eruitur. Verba: Ἐγένετο δὲ ὁ ὑδρώς, remittunt nos ad agoniam eodem verſu deſcriptam, vt ſenſus ſit: cum Chriſtus cum inferni cruciatibus & diabolo, omne robur ſuum exerente, decertaret; vt fieri ſolet in agone gladiatorum, ſudorem eumque ſanguineum emiſit, quod tota ſanguinis maſſa, partim cordis anguſtia & formidine mortis, partim ſtudio redimendi genus humanum, prorſus diſſolueretur. Neque tamen, dum mortis formidinem ſudoris cauſſis, ad quas voces ἐγένετο δὲ nos remittunt, annumeramus, his aſſentimur, qui ſolius mortis temporalis metu ſudorem hunc emanaſſe opinantur. Imo probamus potius magnam partem Caluini verba: *Expendant pii lectores, quam honorificum hoc ſit Chriſto, molliorem & magis meticuloſum fuiſſe, quam pleroſque gregarios homines. Contumaciter ad mortem properant latrones aliique malefici: eam multi alto animo deſpiciunt: alii placide eam obeunt. Eius horrore fuiſſe filium* DEI *perculſum & prope attonitum, cuius fuiſſet conſtantiae vel magnitudinis? Quod enim prodigioſum cenſeri vulgo poſſet, de eo refertur, prae vehe-*

*vehementia cruciatus guttas ſanguinis ex eius facie fluxiſſe. Quam pudenda, vt dixi, fuiſſet haec mollities, eousque torqueri ob communis mortis formidinem, vt ſanguineo ſudore difflueret, neque poſſet recreari, niſi angelorum conſpectu* [a].

V. Sequitur in textu: ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν. Vox ὡσεὶ mouit Theophylactum, Euthymium, Photium, Grotium, Pricaeum, Kippingium & nuper Ioannem Clericum, vt negarent, quod eccleſia catholica miro conſenſu tradit, Chriſtum ſanguineo ſudore diffluxiſſe. Quamquam autem cum autore libri VI de vnita Deitate Trinitatis [b] anathema his viris non dicimus; neſcio tamen, an quis non proterue ſcepticus hanc rem in dubium vocare poſſit. Etenim valde frigidum eſt, quod ex vocula ὡσεὶ concluditur, ſudorem ſanguineum non innui ſiquidem ea ſi nil amplius, certe hoc liquido confirmat, ſudori ſanguinem fuiſſe admiſtum. Taceo, infinitis vtriusque teſtamenti locis philologos pridem demonſtraſſe, ſimilitudinis particulas quandoque non ſimilitudinem, ſed rem ipſam denotare [c]. Deinde addita ſanguinis mentione noſtra ſententia clariſſime aſſeritur. *Ad quid namque*, ait Ianſenius, *ſanguinis potius, quam aliarum rerum liquidarum guttas meminiſſet* euangeliſta [d]? Sudor, quem Chriſtus emiſit, & in terram demiſit, erat ſicut grumi ſanguinis. Iam ſi quis hunc ſenſum faceret, eo

---

(*a*) l. II inſtit. c. 16 §. 12. (*b*) tom. II opp. Athanas. p. m. 430. (*c*) Glaſſ. philolog. p. m. 742 ſeqq. Heins. exercit. ſacr. ad Ioh. I, 14 p. 213. (*d*) comment. in concord. S. p. 1025.

eo dolore, ea anxietate ac difficultate expreſſum eſſe hunc ſudorem, ac ſi grumos ſanguinis Chriſtus emiſiſſet; coactum hoc foret ac nimis dilutum. His enim verbis non deſcribitur anxietas cordis, ac dolor internus vel agonia, de qua paullo ante actum fuerat; ſed ſudor ipſe, qui iam foras exierat, eiusque color ac conditio oculis obuia, ſudor inquam, qui in terram cecidit. Porro vox θρόμβος notat grumum ſanguinis, & Heſychio eſt αἷμα πεπηγὸς, non gutta ſanguinea, ſed ſanguis concretus. Ponamus autem, θρόμβον notare cuiuslibet liquoris, qui facile concreſcat, grumum; quaeſo, ſi ſanguineus non fuit Chriſti ſudor, qui potuit abire in grumos? Sudor ſanus, qualis erat Chriſto, concreſcere non poteſt; at ſanguis ſanus ad frigidiores exterioresque corporis partes delatus facile concreſcit. Igitur vox ὡσεὶ ſudorem grumoſum aut plane excludit, quem tamen admittere coguntur viri ſupra laudati, niſi Lucae verbis vim omnem ac ſanum ſenſum denegare velint; aut ſudorem ſanguineum fuiſſe, palam demonſtrat. Denique vox καταβαίνοντες oſtendit, non metaphorice, ſed proprie Chriſtum ſudaſſe, vt grumi in terram deciderent, vtique ſanguinei, alias grumi non fuiſſent. Recte Ianſenius: *Cur item ſanguinis meminiſſet in terram decurrentis, niſi ſignificare voluiſſet, ſudorem decurriſſe ſanguineis guttis, idque adeo copioſe, vt in terram ab ipſo defluerent.* Et Kromayerus noſter: *Prouerbiali locutione ſudorem hunc ſanguineum eſſe accipiendum, negamus & pernegamus, cum in terram grumos iſtos ſanguinis decidiſſe contextus oſtendat, & hac ἐξηγήσει relationem eſſe hiſtoricam oſtendat* [e]. VI. Quae

(e) Comment. in ep. ad Gal. p. 207.

VI. Quae cum ita ſint, in Spiritus S. teſtimonio acquieſcimus, nihili facientes Iacobi Andreae Cruſii ineptiſſimum ſtudium res diuinas ex iure ciuili declarandi, eoque cap. IV libri de ſudore Chriſti quaerentis, quomodo diſcipulis Chriſti de eius ſanguineis guttis potuerit innoteſcere quicquam, cum tempore nocturno cecidiſſent, in iure vero, quae de noctu facta ſint, difficilis probationis habeantur, nec de actibus nocturnis & de viſu ſimpliciter deponenti regulariter fides adhibeatur. *Ad hoc dubium remouendum*, inquit, *reponimus (1) quod iuxta Lucam noſtrum cap. XXII, v. 41. Chriſtus tantum auulſus fuerit a diſcipulis, quantum iactus eſt lapidis, vt adeo non fuerit* περὶ τῶν ἀδυνάτων *ab illis Chriſtum ſanguinem ſudantem conſpici, praeſertim cum neque continuo dormirent, ſed cum ſomno luctarentur. (2) quod ſecundum quorundam obſeruationem tum fuerit plenilunium, quo caſu etiam in ciuilibus teſtes de viſu, & actu nocturno tempore facto, deponentes probant, iisque fides habetur. (3) quod angelus quoque caeleſti lumine ſplendicans, & ad confortationem redemtoris miſſus, omnia ſpectari fecit.* Addit tandem, *veroſimile eſſe*, ſi diceretur Lucam ex Spiritus Sancti reuelatione hiſtoriam ſudoris ſanguinei didiciſſe. Verum id nobis non eſt veroſimile; ſed longe certiſſimum. Quippe fidem noſtram dormitantium apoſtolorum oculis nequaquam niti volumus; ſed autoritate Spiritus errare neſcii. Quae de plenilunio affert Cruſius, plurimum habent difficultatis. Angelo etiam parum ſplendida coniectura ſplendorem vindicat, quem facile Georgii Calixti obfuſcat meditatio lib. I cap. VIII concordiae, vbi de angelis Chriſti natiuitatem an-

 nun-

nunciantibus agens ita ſcribit: *Recte obſeruat Beda, nusquam alias in ſcripturis angelos caeleſti lumine fulgentes apparuiſſe. Ortus enim erat ſol iuſtitiae, de nocte quidem natus, ſed eo ipſo ſignificans, ſe ortu ſuo tenebras huius ſeculi fugaturum.*

# CAPVT III.

§. 1. *Chriſtus copioſe ſudauit. Pontificii guttas numerant.*

§. 2. *An Chriſtus lacrymas ſimul effuderit? An angelus ſudorem abſterſerit? An tribus vicibus ſudauerit?*

§. 3. *Locus, in quo Chriſtus ſudauit. An arbor in eo emerſerit miraculoſa?*

## I.

NON ſolum autem Chriſtus ſudorem ſanguineum emiſit; ſed & copioſe admodum emiſit. Cum enim ſumma eſſet affectuum lucta, & totius maſſae ſanguineae ineffabilis perturbatio; prorupit ea ſudoris copia, vt grumi in terram deſcenderent. Quapropter Iuſtinus Martyr in eo, quod laudauimus, cum Tryphone colloquio docet, in ſanguinei ſudoris effuſione illud Dauidis fuiſſe adimpletum: *Sicut aqua effuſa ſunt omnia oſſa mea.*

Vn-

Vnde non immerito verſari in errore putantur, qui in facie tantum, manuum volis ac plantis pedum; ſudorem exiiſſe credunt, aut in eo explicando ſolius faciei meminerunt. Rectius Hieremias Drexelius guttas innumeras effluxiſſe ſtatuit, improbatque inſanam quorumdam curioſitatem, de quibus ſcribit: *Sunt qui neſcio qua notitia Dominici ſudoris guttas numerent, dicantque effluxiſſe centenas quinquagenas octonas* [f]. Quo magis miranda eſt aliorum Pontificiorum audacia, qui non ſudoris tantum ſanguinei, ſed in vniuerſum ſanguinis a Chriſto profuſi guttas habent in numerato. *Vis noſſe compendio*, inquit Henricus Engelgraue, *quot fuere amoris eius infiniti ſuperflua, vt ita dicam, teſtimonia? A primo illius conceptionis inſtanti ad extremum ſpiritum amor meus, Ieſus meus, fudit ſexaginta duo millia & ducentas lacrymas; ſanguinis vero guttas craſſiores ad nonaginta ſeptem millia. trecentas & quinque. - - Eleonora a Spiritu Sancto, ordinis Minorum, neſcio vnde hauſit, Chriſtum guttas fudiſſe quadraginta millia & octingentas; vnde illa non deſtitit, quam de corpore ſuo tot victorias cruentas reportaſſet. —— Vir ſanctimonia vitae clarus accepit diuinitus: ſi quis quotidie per viginti annos in honorem ſanguineae flagellationis centies precationem Dominicam repeteret, is ſubducta ratione vna duntaxat precatiuncula quamlibet ſanguinis guttam honoraret: ſumma enim guttarum adſcendit ad ducentorum triginta millium & quinque* [g].



---

(g) Panth. coeleſt. P. I p. 222.

II. Ceterum probabile eſt, Chriſtum non ſanguineis tantum, ſed & aqueis guttis permixtas preces in hac agonia patri obtuliſſe. An vero angelus confortans lacrymas ac ſudorem abſterſerit, definiri nequit. Nec ſpernenda tamen Gerhardi noſtri meditatio: *Cogitari poteſt, angelum hunc in forma humana Chriſto apparentem ipſum humi iacentem erexiſſe, ſanguineum ſudorem abſterſiſſe, verbis conſolatum eſſe, & modis aliis nobis ignotis eum confortaſſe* [h]. Illud quoque non ſatis exploratum eſt, an Chriſtus in tribus orationibus ter ſanguineo ſudore diffluxerit. Quamquam non praeter rem, tertia ac vltima id tantum factum eſſe, Gerhardus inde colligit, quod hanc ſolam Lucas commemoret, qui ſolus etiam ſudorem hunc in noſtram notitiam pertulit.

III. De loco, quo ſudor emiſſus eſt, fabulatur Baronius ex Beda, in eo templum erectum eſſe, cui illatus ſit lapis, ſuper quem Chriſtus, flexis genibus orans, innixus fuerit, quique genuum Chriſti veſtigia receperit. [i]. Verum Caſaubonus illum lapidem, & ei impreſſa genuum veſtigia, pridem contriuit [k]. Hodie locum hunc inſcriptio deſignat, quam exhibet Quareſmius [l], ob acuminis defectum prorſus indignam, quae transſcribatur. Terram ex hoc loco deſumtam paſſim quoque exhibent, Louanii in abbatia Gertrudis, Bruxellis & Pragae, vt notat Hoornbeckius [m]. Andaini etiam in Arduenna, vulgo mo-

(*h*) Harmonia paſſion. c. 2 p. 77. (*i*) Annal. ad an. 34 n. 66. (*k*) exercit. 16 contr. Baron. ad h. l. (*l*) in elucidatione terrae ſanct. tom. 11 p. 160. (*m*) in exam. bullae Vrbani VIII de cult. imag. p. 151.

monaſterio Sancti Huberti, vnde Arnoldus Raysſius in hierogazophylacio Belgico, vbi de hoc monaſterio agit: *De proprio loco, in quo Chriſtus Dominus ſanguinem ſudauit & aquam* [n]. Nugantur etiam, arborem in hoc loco emerſiſſe, vt Drexelius [o] vult; aut flores ceu Marchantio placet [p], qui *illud notatu dignum eſt*, inquit, *quod dicit Egeſippus, hortum illum, poſtquam ſudore hoc immaduit, flores produxiſſe, in quorum foliis ſcriptum erat: o mors, quam amara eſt memoria tua.* Vellem autem, a bonis viris Egeſippi librum nominari, vbi haec habeantur. Facerent ſane orbi litterato rem gratisſimam, ſi Hegeſippi illius, qui ſeculo II floruit, monumenta tandem proferrent in lucem, de quibus Euſebius lib. IV hiſtoriae cap. XXII. Prouocabunt forte ad Hegeſippum recentiorem, qui de Hieroſolymae excidio eſt commentatus. Sed nihil eo proficient, quem notum eſt fabuloſisſimis ſcriptoribus annumerari, vt taceam, ne hunc quidem arboris meminiſſe. Ignoſcant igitur nobis Pontificii, ſi hanc rem inter fabulas reputemus, donec Hegeſippi librum produxerint.



(n) p. 49. (o) l.c. (p) Hort. Paſtor. tract. III lect. XVI propos. 3.

# CAPVT IV.

§. 1. *Sudor Chriſti omnis pietatis ſuſcitabulum.*

§. 2. *Peccatorum noſtrorum ſpeculum.*

§. 3. *Perſeuerantiae in precibus incitamentum.*

§. 4. *Morientium, etiam in medio papatu, tempore Huſſi ſolatium, ex vicinae Seidmansdorffenſium eccleſiae codice* MSST.

I.

QVAE hactenus de ſudore Chriſti allata ſunt, in ſuccum ac ſanguinem pia meditatio conuertat. Sicut vehementia ignis efficit, vt in deſtillatione aqua e roſis emanet; ſic vehementia amoris fecit, vt ex Chriſti corpore ſanguis ſtillaret [q]. Inutilis amor, ni mutuus ſit. Proſequamur ergo Chriſtum vicisſim intenſisſimo amore, ac pro eius gloria ſudorem, aut ſi necesſitas poſcat, ſanguinem laeti profundamus. De martyribus ſeculi ſui ait Cyprianus [r]: *Manabat pro fle-*

(q) Corn. a Lap. ad h. l. Lucae. (r) de lapſis opp. to. I p. m. 127.

*fletibus ſanguis, & pro lacrymis cruor ſemiuſtulatis viſceribus defluebat.* Quo abiiſtis, o ſancti mores! Erubeſcamus ad hunc imbrem delicati Chriſti ſectatores! Olim Ignatius martyr ſomniantibus viſus eſt Domino adſtare, ſudoreque diffluere, quo ſignificabatur, inuiam moleſtamque viam eſſe, qua iſtuc peruenitur. *Beatum Ignatium*, aiunt, *ſudore ſtillantem, tamquam ex multo labore aduenientem & Domino asſiſtentem, intuebamur* [s]. Diſcamus & nos pati, ac ſudando laborandoque penetrare ad requiem. Quod vt promtius faciamus, oculi mentis ſemper ad hortum, quo ſudauit Chriſtus, conuertendi ſunt, vel Thereſiae exemplo, bona malis miſcentis & & dicere ſolitae: *Conabar mihi ſaepius repraeſentare Ieſum, & optime habebam in meditatione myſteriorum, vbi ſolus erat, videbaturque mihi, quod ſic afflictus non poſſet me reiicere, accedentem, vt compasſione mea ſolatio ei forem. Specialiter eius conſortium quaerebam in oratione in horto; ibi frequenter conſiderabam eius & afflictionem & ſudorem, cupiebamque, ſi posſibile foret, eius faciem & moleſtum ſudorem abſtergere. Sed memini, me numquam id auſam, vtpote peccatorum meorum multitudine deterritam, interim ſtabam diu cum eo, multis afflicta cogitationibus. Iam a plurimis annis maxima parte noctium, poſtquam decubuiſſem, ſolebam de hoc myſterio cogitare, etiam antequam ſtatum religioſum asſumerem, & exiſtimo plurimum inde profectus ſpiritualis me conſecutam* [t].

II. Ita

(s) vid. paſſio Ignatii ap. Ittig. bibl. patr. p. 368. (t) ap.

II. Ita autem nos in his cogitationibus componamus, vt, ſecus ac vulgo fieri ſolet, potius peccatis noſtris, quae ſudorem Chriſto expreſſerunt, quam Iudaeis & Pilato iraſcamur, quos ſemper accuſamus, deteſtamur, execramur, nec altius rei cauſſas indagamus. Praeclara ſunt Brentii noſtri verba: *DEVS pater coniicit propter noſtra peccata vnigenitum filium ſuum in tantos aeternae mortis horrores, vt emittat ſanguineum ſudorem, & tu adhuc blandiris tibi, perinde ac ſi ſcelera tua non eſſent aeternae morti obnoxia? ſcilicet pater coeleſtis ſuſtinebit aequo animo filium ſuum tam horrendis afflictionibus corripi propter putamen oui? Ac vide mihi ingratitudinem noſtram! Peccata noſtra extorquent filio DEI guttas ſanguineas, & nobis ipſis, qui ea deſignauimus, vix poſſunt exprimere vnam lacbrymulam, aut ſaltem ſuſpiriolum. Quid hac duricordia turpius? Nobis omnibus ſentiendum eſt, quod vnius cuiusque peccata ea ſunt, quae extorſerint Chriſto ſanguineum ſudorem* [u].

III. Porro orationes noſtras ad Chriſti exemplum, quoad eius fieri poteſt, conformemus. Nam *Chriſtus intentius orans ſudauit ſanguinem, vt doceret, eſſe perſeverandum in oratione, ac fructum perſeuerantiae eſſe conſolationem DEI & viſionem angelorum* [x].

IV. Notemus etiam, contra conſcientiae morſus, cumprimis in vltimo illo ac fatali agone, quo momentum temporis excipiet aeternitas, nullum efficacius remedium poſſe adhiberi hocce ſanguineo Chriſti ſudore. Diodo-

Marchant. in hort. paſt. tr. III lect. 16 prop. 3. *(u)* t. V. opp. p. m. 1475. *(x)* Cornel. a Lap. l. c.

dorus Siculus regiones, in quibus Alexandro erat cum Poro decertandum, deſcribens ſic ait: *In hoc tractu magna vis ſerpentum erat, qui ſpecie quidem exiles, ſed varietate corporum inſignes erant. Si quis ictus eſſet, horrendis torquebatur doloribus, & cruentus per totum corpus ſudor profluebat* [y]. Huiusmodi ſerpens eſt diabolus, cuius ictui ſanguineus Domini ſudor omnino adſcribendus eſt. Huic, nos quoque aggreſſuro, Chriſti ſudorem opponamus, quod in mediis tenebris papatus, magno cum fructu, olim feciſſe moribundos conſtat. Refert Caſſander e libro Sacerdotali Romano has preces pro moribundis: *Domine Ieſu Chriſte per agoniam & orationem tuam ſanctisſimam, quam oraſti pro nobis in monte olíueti, quando factus eſt ſudor tuus ſicut guttae ſanguinis decurrentis in terram, obſecro te, vt multitudinem ſudoris tui ſanguinei, quem prae timoris tui anguſtia copioſisſime pro nobis effudiſti, offerre & oſtendere digneris* DEO *patri omnipotenti, contra multitudinem omnium peccatorum huius famuli tui, & libera eum in hac hora mortis ſuae ab omnibus anguſtiis ſuis, quas pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe* [z]. Meminit Höpfnerus noſter praepoſiti cuiusdam, cui nomen Afranus, qui vocatum ad ſe ſocietatis ſuae canonicum, iuuenem eruditum & pium, in medio papatu rogauit, vt ſibi tria grata faceret, ſi forte in agone ſibi adeſſet. Primum eſt, aiebat, vt me admoneas ſudoris Chriſti, quem in anguſtia ſui pectoris



---

(y) lib. 17. bibl. hiſt. p. 560. (z) ap. Höpfnerum diſp. theol. XIV th. 13. n. 3.

copioſe effudit, ne videlicet peccatorum meorum multitudine in agone meo obruar [a]. Addit Hopfnerus ex Georgio Fabricio, iuuenem hunc multis hominibus id retuliſſe, & in pluribus locis poſtea eum conſolationis modum apud morientes ſeruatum eſſe. Id quod confirmat etiam codex MSS. anno Chriſti CIↃ CCCCXV exaratus, quem nuper inter libros eccleſiae Seydmansdorffenſis inveni. Is hunc titulum praefert: *Tractatus de arte moriendi.* Continet multas precationes pro moribundis, ac circa medium ita loquitur: *Aliae orationes breues atque vtiles ac nobiles, dicendo ſuper agonizantes in mortis articulo, ſumptae ex tali exemplo.* Sequitur ſtatim: *Fuit quondam praepoſitus quidam, qui interrogabat capellanum ſuum, virum deuotum & idoneum, quem plurimum diligebat, quibus ſuffragiis morientem eum vellet apud Dominum adiuuare. Cui reſpondit, omnibus modis, quibus poſſum. Tunc praepoſitus ait: Non peto a te aliud ſubſidium, niſi cum videris me in agonia poſitum, dominicam orationem pro me tribus vicibus dicas. Cui ſe hoc lubentisſime facturum promiſit. Ad quem praepoſitus: Cum primum pater noſter dixeris, dic in honorem agoniae Ieſu Chriſti, obſecrans, vt multitudinem ſui ſudoris ſanguinei, quem prae timoris anguſtia copioſisſime effudit, contra multitudinem peccatorum meorum offerre & obtendere dignetur pro omnibus anguſtiis, quas peccatis meis exigentibus merui. —— Dixit Capellanus haec omnia lubentisſime ſe facturum. Quod & fecit cum diligentia & deuo-*

(a) Höpfn. ibid.

*deuotione, qua potuit. Poſt mortem viſus eſt praepoſitus ſplendidus & choruſcus, grates ſibi immenſas referens dicendo, ſe ſine omni poena fuiſſe liberatum. Nam poſt primum pater noſter Dominus Ieſus ſudorem ſuum ſanguineum pro me oſtendens omnem meam propulſauit anguſtiam. Poſt ſecundum pater noſter per amaritudinem omnium paſſionum ſuarum omnia peccata mea vt imbrem deleuit. Poſt tertium pater noſter caſtitate ſua coelos reſerauit, & me cum gaudio introduxit. Propter hanc reuelationem, quam praedictus capellanus narrabat, in multis locis mos inoleuit, quod praedictus modus orandi apud morientes ſeruatur deuote, ſub ſpe certisſima, quod ipſa oratio valeat homines a daemonibus liberare, peccata diluere, & coeleſte regnum aperire, auxilio Domini Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, amen!*

Haec ex codice paullo fuſius adſcribere viſum eſt, vt tenebrae, in quibus maiores noſtri ante trecentos annos verſati ſunt, in luce ponantur, & ſimul reformationis diluculum iuxta cum aeui noſtri felicitate hinc innoteſcat. Ceterum vt piae patrum de hoc ſudore cogitationes iam afferantur, non opus eſſe arbitror. Nemo fortaſſis hac in re Bernhardo praeferendus eſt libro de paſſione Domini cap. XXXVII.

# DISSERTATIO SECVNDA
DE
# SVDARIIS CHRISTI.

## CAPVT I.
## *De Sudario Abgari & montis Olivueti.*

I.

SVDARIVM, a ſudore dictum, eſt vox origine Latina, vſu Graecorum, Ebraeorum & Syrorum ciuitate donata. Vnde nemo calculum Nonno adiiciet, cui vox Syra eſt, quod ea Syri vterentur [a]. Ita enim νόμος, ἄρχων, δηνάριον, aliaeque voces cum Latinae, tum Graecae, quibus Syrus noui foederis interpres vſus eſt, Syrae eſſent [b]. Id quam abſurdum foret, omnes intelligunt, eoque ſudarium pro voce Latina habent, licet eam ab Ebraeis quoque videant adhiberi. Abolito enim more

(*a*) metaphras. in Ioan. XI, 44. (*b*) vid. Heins. Ariſtarch. p. 917. Sententiam Nonni Chifletius ſuam fecit, eadem ratione ductus, de linteis Chriſti ſepulchralibus p. 15.

re priſtino, quo in rerum permutatione iure ſuo cedens calceum exuebat, alterique dabat, placuit ſequioris aeui Ebraeis, contrahere בסודר *per ſudarium*, vt prolixe oſtendit Bynaeus de calceis Ebraeorum lib. II cap. VII, illudque ſe במקום נעל *loco calcei* adhibere ſcribunt. Praeterea vtuntur hac voce in ſacrorum publicorum deſcriptione, in quibus cantores per ſudarium de tempore canendi monebantur. Quem ritum Le Moyne a Iudaeis ad Chriſtianos fluxiſſe credidit, qui olim ſudarii, quod & orarium vocant, agitatione in templis alios, ſiue lectores, ſiue cantores, ſoliti ſunt admonere [c]. Sed haec non eſt originaria vocis ſignificatio, ſiquidem ſudarium proprie eſt linteum, quo ſudor ſiue ſolius capitis, ſiue cuiuscumque membri, quod ſine vdo ſeu ſiccum reddit, abſtergetur. *Non magnum linteum fuiſſe*, inquit Salmaſius [d], *apparet ex loco actorum cap. XIX, vers. 12, vbi perhibetur, multos aegrotantes variis morbis a corpore Pauli contacta ſudaria & ſemicinctia detuliſſe, & ſic ſanatos fuiſſe. Sudarium igitur paruum linteum, quod quisque gerebat.* Facit huc mos Neronis, qui plerumque ligato circum collum ſudario prodiit in publicum, vt Suetonius autor eſt in vita cap. LI. Vnde colligitur, linteum paruum fuiſſe, circiter complectendo capiti aptum. Atque huiusmodi ſudariis etiam alias vtebantur veteres, vt cum defuncti Saluatoris caput ſudario obuol-

 ve-

(c) le Moyne to. II varior. ſacr. p. 796 ſeqq. (d) in epp. de cruc. Bartholini diſſ. de latere Chriſti apert. ſubiectis p. 384.

verent. Longius autem ab hac vocis proprietate receditur, quando ſudarium dicitur veli ſpecies, quam Graeci σȣδαροκέφαλον [e] vocant; aut mappula, vel veſtimenti ſacerdotalis genus, de quo plurima afferunt rituum eccleſiaſticorum ſcriptores [f]. Denique hi quoque incommode loquuntur, quibus magna illa lintea, quibus mortui inuoluuntur, ſudaria audiunt, quos eruditisſimus Salmaſius reprehendit: *Nunc idiotice ſudaria vocamus ipſas ſepulcbrales vel ſepulturales ſindonas. A quo errore ſudaria oſtentant pro veris ἐθονίοις, quibus Chriſti corpus inuolutum eſt a Ioſepho Arimathaeenſi* [g].

II. Ceterum ex dictis apparet, quo ſenſu nobis ſudarii vox adhibeatur, nempe pro modico linteo, tergendo ſudori primum ac ex inſtituto, ſimul tamen involuendis rebus non magnis accommodato. Acturis autem de ſudariis Chriſti, quae Pontificii hodieque ſupereſſe, & a populo coli magnopere volunt, illud primo loco ſpectandum eſt, quod Chriſtus ad Abgarum, Edeſſae regem, miſiſſe ſcribitur, poſtquam faciei ſuae imaginem ei impresſiſſet, quam miſſus ab Abgaro pictor, ſplendore prohibitus, non poterat adornare. Primus eius mentionem fecit Euagrius Scholaſticus, pronus in fabulas ſcriptor, circa annum DXCIV quem Damaſcenus, & bruto imagi-

gi-

(e) Du Fresne Gloſſar. ad ſcript. med. & infim. Latin. P. III p. 1001. (f) Amalarius Fortunatus lib. III de eccles. off. c. 24. Alcuinus de diu. off. col. 273. Dominicus Macer hierolex. p. 364. Gauantus theſaur. ſacr. rit. t. I p. 83. Cardinalis Bona rer. liturgic. l. I c. 24. (g) l. c.

ginum cultu, notiſſimi Graeculi, non vno quidem ore, vna tamen inſania ſequuntur. Vocat autem Euagrius Θεότευκτον εἰκόνα, ἣν ἀνθρώπων μὴν χεῖρες οὐκ εἰργάσαντο. Ἀβγάρῳ δὲ χριστὸς ὁ Θεὸς αὐτὸν ἰδεῖν ἐπόθει, πέπομφε, *imaginem diuinitus fabricatam, quam non hominum manus effinxerant, ſed Chriſtus Deus ad Abgarum miſerat, qui ipſum videre magnopere cupiebat;* imo Edeſſam huius ſudarii ope ab obſidione Perſarum liberatam eſſe ſcribit [h]. Quae res mouit Pontificios quosdam, vt hunc theſaurum Edeſſa Conſtantinopolim, inde vero Romam delatum fuiſſe, ibique hodienum aſſeruari traderent, puta, vt Roma omnis ſanctitatis eſſet repertorium. Contra quidam Genuae, Liguriae vrbe, in templo Bartholomaei id ſeruari, aliquanto confidentius ſcribunt. Chiffetius vtrosque conciliare ſtudet, *haud dubie*, inquiens, *primigenia eſt vno in loco, altera miraculo expreſſa in alio* [i]. Verumenimvero, ſanorum hominum iudicio, procul dubio primigenia illa imago nusquam eſt, quia nunquam fuit. Non enim ſatis exploratum eſt Abgari illud cum Chriſto litterarum commercium, de quo Euſebius lib. I hiſtoriae cap. XIII nedum id, quod de ſudario exeunte ſeculo ſexto commemorari cepit. Nimirum quicquid de Abgari cum Chriſto conſuetudine prodit Euſebius, ex publicis documentis, in quibus res vrbis Edeſſae & Abgari continerentur, & ἀπὸ τῶν ἀρχείων, ex archiuis depromtum eſt [k]. Igitur aut parum diligenter hiſtoriam ſuam compoſuit; aut eius aetate ſudarium hoc Edeſſae non occultius habitum,

(h) Euagr. lib. IV hiſt. cap. 27. (i) Chifletius l. c. p. 116. (k) Euſeb. l. c.

tum, ſed prorſus incognitum fuit, alias non omiſiſſet ſcriptor vltra fidem ſedulus. Quare cum ad hunc Euagrii locum perueniſſet, non praeter rem notat Valeſius: *Ceterum notandum eſt, nec ab Euſebio in libro 1 hiſtoriae eccleſiaſticae, nec a Procopio in obſidione vrbis Edeſſenae, vllam fieri mentionem imaginis a Chriſto ad Abgarum regem transmiſſae* [l]. Errat igitur Caluinus in admonitione de reliquiis, quando Euſebianae hiſtoriae tribuit hanc fabulam.

III. Sed Abgari ſudarium poſt quingentos annos e tenebris emerſiſſe, parum eſt. Gretſerus, qui conceſſam ſibi & libere & impudenter fingendi poteſtatem ſemper credidit, poſt integra quindecim a Chriſto paſſo ſecula orbi Chriſtiano olíueti, quod vocant, ſudarium obtrudere aggreſſus, id in monte ſancto Bauariae ſeruari docuit. Quem harum rerum ſcriptores Romanenſes vt plurimum ſequuntur in eoque vnice ſubſiſtunt. Quareſmius: *Praeter duo autographa ſudaria viuentis Saluatoris, Abgari & Veronicae, eſt & aliud, quod Oliueti dicitur, quia illo Chriſtus Dominus, quando pridie mortis ſuae ad radices montis oliueti orans ad patrem ſuum ſudauit ſanguinem ſe abſterſit, & hoc integrum ad poſteros deuenit, ſummaque religione colitur, & in monte ſancto Bauariae aſſeruatur, inquit Pater Gretſerus de ſancta cruce Tom. 1 lib. 1 cap. 97.* [m]. Ita & Fridericus Fornerus, epiſcopus Hebronenſis: *inquit Iacobus Gretſerus* [n].

Sed

---

(l) not. ad l. c. Euagr. lib. IV cap. 14 §. 4.

(m) Elucidat. terr. ſanct. t. II

(n) Paradiſ. euangel. t. I conc. 66 p. 361.

Sed quoniam Petrus Mallius [o] aliique Pontificii diſerte tradunt, illud ſudarium, quo ſudor ſanguineus exceptus eſt, eſſe illud ipſum, quod Veronicae dicitur; ideo lites huiusmodi noſtras non faciemus, nec huic ſudario immorabimur, ſiquidem illud ſubdititium eſſe ipſimet Gretſeri ſocii fatentur. Nobis autem firmiore indicio non opus eſt.

IV. Oſtendunt & paſſim alia ſine fine, partesque eorum varias, vt ex Rayſſii hierogazophylacio apparet. Laudant etiam multa deperdita, & in his aliquanto maius linteum a Maria contextum, duodecim apoſtolorum & ipſius Domini imaginem referens [p]. Hoc vbi deliteſcat, fatentur ſe ignorare. Ne tamen apoſtolorum ſudariis omnino deſtitueremur, Paulinum Romae oſtendunt, nec id alia de cauſſa, quam quod apoſtoli ſudariis olim aegrotos legiſſent reſtitutos. Adſcribam ex occaſione Quaresmi de hac re verba, qui reliquias multiplicare praecipuam curam duxit. *Cum*, ait, *ſanctus apoſtolus Romae duceretur ad ſupplicium, in porta ciuitatis fertur ſe vidiſſe Plautillam, ſiue, vt alii vocant, Perpetuam, apoſtolorum diſcipulam, atque illi dixiſſe: Plautilla, aeternae ſalutis filia, commoda mihi pannum, quo caput tegis, ligabo enim mihi oculos vice ſudarii, & dilectioni tuae amoris mei pro Chriſti nomine pignus ad illum pergens relinquam. Quam cum reprehenderent carnifices de panno amiſſo in reditu eorum a ſupplicio, oſtendit eis pannum ex ſinu extrahens roſeo perfuſum ſanguine* [q]. Idem a Paulo Aringhio



(o) ap. Mabillonium itin. Ital. p. 88. (p) ex Beda Chifletium vid. l. c. p. 19. (q) l. c.

ghio traditur Romae ſubterraneae lib. III cap. II. An vero hoc ipſum ſit Pauli ſudarium, cuius ſuo iam aeuo Gregorius Magnus meminit [r], valde dubium eſt.

## CAPVT II.

## *De ſudario Veronicae ac precibus ad id fuſis.*

I.

VERONICAE vocabulum olim non mulieris, ſed ipſius ſudarii, quod Veronicae dicitur, nomen fuiſſe, Pontificiorum eruditisſimi hodie fatentur. Ita DU FRESNE: *Veronica Romanis appellatur tabella, in qua Chriſti Domini pergentis ad crucis ſupplicium diuino miraculo expreſſa effigies efformatur, quae aſſeruatur & colitur Romae in eccleſia S. Petri. Clemens IV to. 2 ep. 484 ann. 1268. Quid enim ſupereſt, niſi vt ipſa veronica cum apoſtolorum capitibus transportetur, & vrbs tota ſpoliata theſauro, confuſionis induta diploide habeat in aeternum, quod lugeat. Nicolaus IV PP. an. 1290. In ea namque baſilica ſui pretioſisſimi vultus imaginem, quam veronicam fidelium vox communis appellat, in ſingularis amoris inſigne tribuit venerari* [s]. Eundem in modum do-

(r) ap. Binium to. II concil. p. 779. (s) Gloſſ. Latinit. P. III col. 1285. ſeqq.

doctiſſimus Mabillonius, quem Menagius ſequitur, veronicae vocem ſcribit eſſe imaginis, non foeminae, tracto etymo a vera & icon, ſeu iconia, quae voces in vnam contractae veronicam conſtituerent. Ac ne cenſurae Romanae periculum adiret, firmare hoc multis veterum teſtimoniis conatus eſt [t]. Profert autem inter alia notatu dignisſima verba Vrbani IV ex epiſtola anno CIↃ CCXLIX ad virgines Monaſteriolenſes ſcripta, cum is adhuc eccleſiae Laudunenſis archidiaconus eſſet. Integram epiſtolam Chifletius exhibet [u], e qua verba ſequentia ad praeſens ſpectant: *Idcirco vos rogamus enixe, vt propter reuerentiam illius, quem repraeſentat, recipiatis eam* (imaginem Saluatoris ad exemplum eius, quam Vrbanus aſſeruabat, depictam) *vt ſanctam Veronicam, ſeu ſimilitudinem.* Eadem doctisſimo Papebrochio mens eſt, qui tumultuantibus aduerſus hanc ſententiam Carmelitis non ceſſit vmquam, atque etiam obuiam iuit, quapropter Lipſienſes de eo haec referunt: *Lubens concedit, ſe in actis ſanctorum dubitaſſe, num mulier quaedam nomine Veronica, quae Chriſto crucem baiulanti occurriſſe, eique faciem ſudario ſuo terſiſſe perhibetur, vnquam in rerum natura fuerit, qua de re etiam iam pridem dubitatum fuiſſe notat, antequam ſanctorum acta prodirent. Obſeruat enim, nomen Veronicae in Galeſinii martyrologio quidem legi, at Baronium, cum multis ſanctis martyrologium augeret, Veronicam tamen addere auſum non fuiſſe, imo Gregorii XIII tempore adiunctam expunxiſſe,*

 &

(t) Mabillon. itin. Ital. p. 88. (u) de lint. p. 118.

*& in ſuo martyrologio alto ſilentio preſſiſſe. Adducit praeterea ſcriptores, qui ipſum ſudarium Veronicam appellarunt. Vnde ſuſpicatur, quod Veronica nihil aliud ſit, quam vera icon Chriſti, quae ſucceſſu temporis Veronica appellata fuerit* [x].

II. Permultis contra vxor eſt Veronica, quam aiunt Chriſto ad ſupplicium eunti ſudarium exhibuiſſe, vt faciem ſudore & ſanguine madentem abſtergeret, ab eoque illud recepiſſe cum impreſſa faciei Chriſti imagine [y]. Securi autem ſunt de rei teſtibus antiquis, ac Methodio neſcio quo, & L. Dextro vetuſtiores proferre ne quidem conantur. Quamquam autem Methodium hunc ſubinde & antiquisſimum martyrem & chronographum appellant, eumque a nobis pro Methodio Tyrio haberi volunt; ignorant tamen, quo libro hocce eius de Veronica teſtimonium habeatur, ſiquidem ex Mariano Scoto [z] ſaltem eius verba de Tiberio imperatore adducunt: *Hic lepra vexatus non modica deſiderabat, auditis diuinis virtutibus, gratiam eius per nuncios comprobare, ſed non potuit ad hoc pertingere: quia Chriſto iam poſt reſurrectionem coelo praeſidente fama compererat, Pontio Pilato adiudicante Iudaeis traditum, & a ſuis militibus crucifixum, ſepultumque tertia die reſurrexiſſe; ſed furatum a diſcipulis cuſtodibus appretiatis diffamatum eſſe, a quadam matrona nomine Veronica, quae ipſius Saluatoris noſtri aſpe-*

(x) in actis erudit. an. 96 p. 503. (y) vid. Cornelius a Lapide in Matth. XXVII. (z) chron. ad an. Chr. 39 ap. Piſtorium ſcript. Germ. to. I p. 408 conf. compilationem chronologic. ap. eund. p. 707.

*aſpectum ipſo exprimente atque contradente, ad euidentiam teſtificandae veritatis & obſeruandae fidelitatis nicemate ſuo reconſignatum habuit. Quae dum nuntios conueniſſet, & ita eſſe atque omnia ſe habere per omnia euidentiſſime aſſeruit, Romam ab ipſis delata eſt, atque in praeſentiam principis adducta ſpeciem diuinae teſtificationis oſtendit.* Verumenimuero nemo ſanae mentis haec verba Methodio Tyrio, de quo Hieronymus capite XXCIII de ſcriptoribus eccleſiaſticis agit, adſcribet, ſiquidem hic Mariani Scoti Methodius hiſtoriam ſuam vsque ad annum CCCCVIII minimum pertexuit [a], Tyrius autem, Hieronymo teſte, ſub nouiſſima perſecutione circa annum CCCIII martyrio coronatus eſt. Vnde in operibus Methodii martyris fabula non comparet, nec ei a Bellarmino chronicon vel hiſtoria adſcribitur; ſed potius reuelationum libellus, quem ei quidam tribuerunt, Bellarmino [b] ac Miraeo [c] ſuppoſititius eſt. Praeterea autem Methodius rem ita obſcure commemorat, vt multa monachos adieciſſe palam ſit. Habeant ergo ſuum ſibi Methodium Pontificii, cuius de Veronica traditionem in ipſa eccleſia Romana reiiciunt, quicumque Veronicam foeminae nomen fuiſſe negant. Nec Dextrum nobis opponant, qui circa annum CCCXCII floruit, & omnimodam hiſtoriam conſcripſit, teſte Hieronymo de ſcriptoribus cap. CXXXII. Ipſe enim cardinalis Noriſius hiſtoriae Pelagianae lib. I capite XXXIII parum tribuit Dextri chronico, quod hodie circumfertur; Miraeus autem recte monet, eruditis

 Dex-

(a) vid. Scotus ad h. an. (b) de ſcript. Eccl. p. m. 52. (c) notis ad l. c. Hieronymi.

Dextri fragmenta eiusdem farinae videri cum Beroſo Annii Viterbienſis [d]. Quapropter & le Moyne indicat [e], Hiſpanos omnibus aliis gentibus ludibrium debere, cum nihil ſit ineptius, quam illorum Flauius Dexter. Ceterum pauca & obſcura Dexter habet de Veronica. *Verenice*, inquit, *ſancta mulier a Gallia Romam venit, ibique diuino relicto vultu miraculis clara migrat ad Dominum* [f].

III. Etſi autem vulgatae fabulae auctores, praeter nullius fidei Methodium Dextrumque, nusquam in veteri eccleſia inueniunt; narrant tamen mulieris vitam eo verborum apparatu, ac ſi nudius tertius demum diſceſſiſſet. Cornelius a Lapide eam mulieribus Chriſtum ad ſupplicium ſequentibus annumerat [g]. Aureae Legendae autor tradit, eam fuiſſe mulierem, quam Chriſtus a ſanguinis profluuio liberaſſe legitur [h]. Sed Carolus Macer ſubdubitans ſcribit: *Satis conſtat, Veronicam, Beronicam, Berenicem eſſe idem nomen, & conſequenter dubitari licet, an Hemorrhoiſſa a redemtore liberata ipſamet fuerit, quae eidem crucem baiulanti ſudorem, vt fertur, abſterſerat* [i]. Alii nobilem faciunt, teſte Quaresmio [k].

IV. Domum mulieris hodieque ſuperſtitem volunt; ſed in deſcribendo eius ſitu nihil tradunt conſentienter. Adrichomius dixerat: *Domus Veronicae angularis* [l]. Verum

---

(d) not. ad Hieron. de ſcript. c. 132. (e) var. ſacr. to. 11 p. 1039. conf. annot. noſtras ad l. c. Hieron. (f) ad ann. Chriſti 48. ap. Corn. a Lap. l. c. conf. etiam de moderno Dextri chronico Caue hiſt. lit. to. 1 p. 164. (g) l. c. (h) ap. Hoſpin. de feſtis Chriſt. p. m. 56. (i) Hierolex. p. 301. (k) l. c. (l) deſcript. vrbis Hieroſol. n. 44. p. m. 74.

rum Quareſmius monet, intelligendum id eſſe de ſitu, quem Chriſti tempore haec domus obtinuerit. Addit autem: *Si talem* (ſitum) *habuit. Nam quae noſtro tempore viſitur, non in angulo viae, ſed in medio hinc inde continuas habens alias domos; & eſt in laeua parte viae euntibus ad Caluarium. Paruum habet oſtium, & ante in via duos prominentes gradus, per quos in illam eſt ingreſſus* [m].

V. Vidimus mulierem eiusque domum. Nunc ſudarium paullo accuratius inſpiciamus. De materia ipſi Pontificii ſequuntur lites. Adrichomius vocat lineum capitis Veronicae peplum. At Quareſmius *mihi*, inquit, *probabilius, fuiſſe bombycinum, tum quia telae bombycinae ſunt in his partibus magis in vſu, tum quia erat velum capitis, & huiusmodi communiter ex bombyce elaborantur, quod ſubtiliora & leuiora ſint: ſane alterius materiae ſaltem modo non ſunt in vſu.* Mireris autem, ipſos ſudarium, quod ſe posſidere aiunt, non inſpicere, & quale ſit, demonſtrare ad oculum. Hoccine eſt, ſudarium indubitato habere, quale ſit, ignorare & longe petitis ratiunculis de eo, tamquam de re pridem deperdita, diſputare?

VI. Pari ratione altercantur, quotuplex illud fuerit, cum vna plures eccleſiae eo gaudeant, non ectypo, ſed prototypo. Verum huic rei medentur illud triplicando, ne qua acerbior inter eccleſias concertatio exoriatur. *Reſpondet citatus Salmeron*, inquit Quareſmius, *fuiſſe velum capitis Veronicae oblongius & triplicatum,* &

(m) l. c. c. 13.

*& imaginem diuinitus impreſſam triplicem ſuſcepiſſe, quarum vna ſeruatur Romae, altera in Giennenſi ciuitate Hiſpaniae, tertia Ieroſolymis; eratque ſudore ac ſanguine aſperſa.* Mirum vero, vnde hoc Salmeroni innotuerit!

VII. Faciem Domini ex Monaſteriolenſium virginum ectypo ſic deſcribit Mabillonius: *Caput eſt radiatum cum barba oblonga & bifurca; oculi graues nec ſine maieſtate.* Quaresmius ex Lanſpergio addit, in prototypo etiam militum digitos conſpici, a quibus Chriſtum vapulaſſe proditum eſt memoriae. Sed vellem, Mabillonium opinionem, qua Monſtrolienſium virginum imago pro Baſilidianorum amuleto habetur, paullo accuratius confutaſſe, nobisque faciem Dominicam ex archetypo Romano, ſi illud inſpicere dignatus eſt, adumbraſſe. Verum aut omnia me fallunt, aut Romani ſudarii cuſtodes Mabillonium ad tanti theſauri inſpectionem aegre admiſiſſent, veriti, ne Gallorum doctisſimus parum honorifice de eo ſentiret, vt minuit aliquando praeſentia famam. Quamobrem nec a Venetis Marci αὐτόγραφον euangelium ei oſtenſum fuit, quos ideo ſalſe perſtringit in itineris Italici deſcriptione. *Ne de rei veritate periculum fiat*, inquit, *hi libri ſigillis obſignati ſunt, nec cuiquam aperiuntur* (n).

VIII. Ceterum poſſet haec Romanenſium de Veronica opinio ſuis autoribus facile relinqui, niſi foedisſimae ſuperſtitionis acceſſu multa reprehenſione redderetur dignisſima. Etenim preces ad ſudarium fundunt prorſus idololatricas, ſiquidem in iis creaturae liquido tribuitur,

(n) p. 32.

tur, quod creatori vnice erat tribuendum. Producunt illas Proteſtantes ex libris ante Lutherum excuſis, in iisque defendendis operam & oleum perdi inuictis argumentis demonſtrant (o). Easdem nos, Latinas pariter atque Germanicas, ex MSS. adſcribemus. Codex quidam noſter de indulgentiis ſcriptus anno CIↃ CCCCLX exhibito indulgentiarum, a diuerſis pontificibus Veronicae cultoribus conceſſarum, indice ſub finem ita habet: *Calixtus vero papa tertius auctoritate apoſtolica etiam confirmauit de plenitudine poteſtatis praefatas indulgentias dicentibus orationes vt ſupra. Et hoc per ſignaturam regiſtratam apparet in regiſto ſupplicationum fol. CCXIII in libro II anno Domini CIↃ CCCCLVI.* Subiiciuntur ſtatim orationes ſequentes:

*O facies Domini praeclara,*
*Quae pro nobis in crucis ara,*
*Facta es tam pallida,*
*Anxietate denigrata,*
*Sudore ſanguinis rigata,*
*Te texit linteola,*
*In qua manſit tua forma,*
*Quae compasſionis norma,*

F *Cun-*

(o) Rainoldus de idololatr. eccl. Rom. l. II c. III p. 486. Forbeſius inſtruct. hiſt. theol. l. VII c. 2 Io. Fr. Mayerus Logic. Pontif. ἀλογ. p. 33 aliique.

*Cunctis eſt praelucida.*
*Meo cordi ſit impreſſa,*
*Per te, Chriſte, neque ceſſa,*
*Hic cremare indefeſſa,*
*Amoris tui facula.*
*Vt poſt vitam cum beatis*
*Cernam vultum Deitatis*
*In perenni gloria.* [p]

* * *

*Salue ſancta facies noſtri redemtoris* [q],
*In qua nitet ſpecies diuini ſplendoris,*
*Impreſſa panniculo niuei candoris,*
*Dataque Veronicae ſignum ob amoris.*
*Salue decus ſeculi ſpeculum ſanctorum,*
*Quod videre cupiunt ſpiritus coelorum,*
*Nos ab omni macula purga vitiorum,*
*Atque nos conſortio iunge beatorum.*

*Sal-*

---

(p) vid. oratiunculam paullo immutatam ap. Hoſpinianum de feſt. Chriſt. p. 78. (q) Rainoldus prolixiorem hanc exhibet l. c.

*Salue mundi gloria in hac vita dura,*
*Labili & fragili cito tranſitura.*
*Nos perduc ad propria o felix figura,*
*Ad videndam faciem, quae eſt Chriſti pura.*
*Eſto nobis quaeſumus tutum adiuuamen,*
*Dulce refrigerium atque conſolamen,*
*Vt nobis non noceat hoſtile grauamen,*
*Sed fruamur requie. Omnes dicant: Amen.*

In Guelpherbytana bibliotheca memini me hanc oratiunculam Germanice, & charactere ſatis vetuſto, deſcriptam vidiſſe. Videas ibi tuas tabulas per modum libelli in forma quarta compactas, quibus euolutis Chriſti facies, perinde vt ſupra Mabillonius ex Monſtrolienſium tabula adumbrabat, tenuiſſimo peplo impreſſa comparet, in dextra autem preces habentur, vt eas recitantes ſemper oculos in imaginem poſſint dirigere [r]. Ita autem ſcriptum eſt: Eyn yegliche Menſch / das mit Anſehung des heiligen und Erentrichen antzlits unſers Herren Jeſu Criſti diß Gebette andechtiglich ſpricht / der erfolgt CCC und XL Tag ablas von Babſt Gregorio gegeben: Byß gegrüßt heiliges Angeſicht unſers Seelig-



(r) inſeruit oratiunculam libro de imaginibus Chriſti Ioannes Reiskius, amicus noſter, dum viueret, coniunctiſſimus. Sed h. l. plenius exhibere viſum eſt.

ligmachers / in dem do ſchynet die Geſtaldt des göttlichen Glantz / getruckt inn eyn ſchneeſchynendes Düchlin / gegeben der ſeeligen Veronicken zu eynem Zeychen der Liebe. Byß gegrüßt der Welt Getzierde / der heiligen Spiegel / den zuſehen begeren die himliſchen Geiſt / reinige uns von aller Sünden maſen / und füge uns zu der ſeeligen Geſellſchafft. Byß gegrüßt unſer Ere und Glori in dieſem harten / ſchlichenden / Krancken bald vergeenden Leben / o ſeelige Figure / führe uns in unſer Vatterland / zu ſehen das war Antlitz unſers Herrn Jheſu Criſti. Wir bitten dich / ſey uns ein ſichere Hilff / ein ſüße Erfülung und Troſt / das uns die veyntſchafftliche Beſchwerung nit ſchaden / ſunder alle nyeſen mögen die Ruhe. Amen.

IX. Quo tempore indulgentiis primum auctus ſit ſudarii cultus, non eſt definitum. Matthaeus Pariſienſis ad annum CIↃ CCXVI haec ſcribit, e quibus tum demum id factum eſſe, colligimus: *Dum fortunalis alea ſtatum regni Angliae talibus turbinibus exagitaret, Dominus Papa Innocentius, quem vacillantis eccleſiae cura ſollicitabat, effigiem vultus Domini, quae Veronica dicitur, vt moris eſt, de eccleſia S. Petri verſus hoſpitale ſancti Spiritus reverenter cum proceſſione baiulabat. Qua peracta ipſa effigies, dum in locum ſuum apportaretur, ſe per ſe gyrabat, vt verſo ſtaret ordine, ita ſcilicet, vt frons inferius, barba ſuperius locaretur. Quod nimis abhorrens Dominus Papa, credidit illud in triſte ſibi praeſagium eueniſſe, & vt plenius* DEO *reconciliaretur, conſilio fratrum in honorem ipſius effigiei, quae Veronica dicitur, quandam orationem compoſuit elegantem, cui adiecit quendam pſalmum,*

*mum, cum quibusdam verſiculis, & eadem dicentibus decem dierum conceſſit indulgentiam, ita ſcilicet, vt quotiescumque repetatur, toties dicenti tantundem indulgentiae concedatur.* Non ſubſtiterunt in hac parſimonia ſucceſſores, ſiquidem Ioannes XXII vt eſt in noſtro codice de indulgentiis, oratiunculam centum dierum indulgentiis compenſauit. Quod autem Heideggerus ſcribit, Ioannem preces deuote recitantibus decem millium dierum indulgentias promiſiſſe; neſcio an ex ſcriptoribus Pontificiis probari poſſit [s]. Illud interim ſatis eſt ad redarguendam hominum ſuperſtitionem, quod liber de ſtationibus Romanis Romae anno CIↃ CCCCLXXV impreſſus, ac Norimbergae anno CIↃ CCCCXCI recuſus [t], nugari non ſit veritus: *Quando Veronica ibi* (in eccleſia ad S. Petrum in Vaticano) *oſtenditur, tunc Romani habent indulgentias 3000 annorum; Itali 6000 longinqui 12000.* O ſanctas gentes, quibus ſudarium hocce quotannis in paraſceue oſtenditur, vt refert Cornelius a Lapide, teſtis oculatus [u], eoque populi concurſu frequentatur, vt nonnullis videndi cupiditas aliquando imponeret moriendi neceſſitatem. Ita enim Henricus Engelgraue narrat: *Refert Spondanus anno Iubilaei indies Romae ſupra decies hominum extraneorum millia fuiſſe, tamque confertam multitudinem ad ſpectandum ſudarium Veronicae Dominicis ac feſtis ſolennibus oſtendi ſolitum confluxiſſe, vt ſae-*



(*s*) Heidegg. anat. concil. Trid. P. II p. 1108. (*t*) excerpta dedit Hottinger to. 7 hiſt. eccl. ſec. 16 c. l. III p. 235 ſeqq. (*u*) l. c.

*ſaepius contigerit, plures praefocari* [x]. Sed grauiter hos corripuit Caluinus, *quaeſo* [y], inquiens, *annon valde inſanierunt homines, cum in tam longinquas regiones magno ſumtu, maiore moleſtia, excurrerunt, vt panniculum cernerent, de quo nihil omnino poterant habere certi: ſed potius addubitare cogebantur? Quisquis enim ſudarium certo quodam in loco eſſe putat, caeteros, qui ſe habere iactant, accuſat falſi.*

## CAPVT III.

### *De ſudario capitis Chriſti, quo gaudent Veſontini, Romani, Taurinenſes, Moguntini & monachi in monaſterio S. Cornelii, mille pasſibus Grani aquis disſito.*

I.

HACTENVS ſpectandis ſudariis, quorum nulla ſit in ſcripturis mentio, dedimus operam. Iam accedendum eſt ad linteum, quo Saluatoris caput in monumento obtegebatur. Iudaeis enim hic mos receptus erat, demortuorum capita linteo operire, quod Gerhar-

(x) Panth. caeleſt. P. 1 p. 258. (y) admonit. de reliquiis, quae in opuſculis extat, p. 587.

hardus [z] putat ſudarium dici a forma, quam dubio procul communem habuit cum linteis illis, quibus ſudor abſtergetur. Cuius generis ſudario Lazari facies circumligata erat, quem Dominus in vitam reuocauit [a]. Eumdem ritum ſeruabant Iudaei, funeris Chriſti curatores, eiusque caput ſuperinducto & ad collum religato ſudario contegebant. Quare Ioannes: *Et ingreſſus Petrus videt linteamina poſita, & ſudarium, quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus repoſitum, ſed ſeparatim inuolutum in locum peculiarem* [b]. Qua in re nihil ſingulare factum, ſed Chriſtum communi gentis more inuolutum eſſe, non ſolum ſcriptura docet [c]; ſed & ſcriptor Pontificius de pileo ceteriſque capitis tegminibus, quem Anſelmum Solerium eſſe ex praefatione colligitur, ſectione XVII vltro fatetur.

II. Ceterum ex ſudario inuoluto & peculiari loco poſito Iudaeis pariter & Chriſti diſcipulis colligendum erat, corpus Domini non furtiua manu ablatum eſſe; ſed Chriſtum reuera reſurrexiſſe. Furibus enim tantum otii non fuiſſet, vt ſoluerent prius ſudarium, & inuolutum ſeparatim collocarent; ſed potius abſtuliſſent corpus ſumma feſtinatione vtcumque inuolutum, nec cum nodis & ligamentis decertaſſent. An autem Petrus aut alii fidelium in tanta rerum omnium perturbatione ac vigilantia hohium, illud e ſepulchro domum detulerint, ac ſollicitius aſſeruauerint, mortalium memini eſt ſatis exploratum. Chifletius tamen, indigno viro docto credulitate motus, capite VI de

(z) harm. reſurr. Chr. c. 3 p. 90. (a) Ioann. XI, 44. (b) cap. XX, 7. (c) Ioann. XIX, 40.

de linteis Chriſti ſepulchralibus pro lubitu pronunciat, atque hoc ſudarium non ſolum monumentum facit manuum Mariae virginis, a quo illud funeris curatores obtinuerint; ſed & ſimplicisſimi viri, venerabilis Bedae, verbis magno miraculo id enituiſſe commemorat. Verba Bedae ita ſonant: *Sudarium capitis Domini, poſt reſurrectionem eius, mox Chriſtianisſimus quidam Iudaeus furatus vsque ad obitum diuitiis ſibi affluentibus habuit; qui moriturus interrogat filios, qui Domini ſudarium, qui ceteras patris velit accipere reliquias: maior theſauros rerum, minor eligit ſudarium: & mox illi decreſcunt opes vsque ad paupertatem; fratri autem cum fide creſcunt & opes, quod vsque ad quintam generationem fideles tenuere. Hinc ad impios perueniens diuitias tantum auxit, vt Iudaeis, & hoc multo tempore: donec poſt longa litigia, quibus Chriſtiani Iudaei ſe Chriſti, infideles vero ſe patrum ſuorum affirmabant heredes; Mabuuias Sarracenorum rex, qui noſtra aetate fuit, iudex poſtulatur, qui accenſa grandi pyra Chriſtum iudicem precatur, qui hoc ſuper ſuorum ſalute ſuper caput habere dignatus eſt. Miſſum ergo in ignem ſudarium, veloci raptu effugiens euolat, & ſummo in aere diutisſime quaſi ludendo volitans ad vltimum, cunctis vtrinque intuentibus, ſeſe leniter in cuiusdam de Chriſtiana plebe ſinum depoſuit; quod mane mox totus populus ſumma veneratione ſalutabat & oſculabatur. Habet autem longitudinis pedes octo.*

III. Scilicet eum in finem Chriſtus ſudarium reliquerat, vt Chriſtiani pariter ac Ethnici, qui illud tenebant, panem in ſudore faciei comedere deſinerent, eoque opes terrenas ſine opera pararent! Qua de re tacent

veteres ad vnum omnes, ſi Bedam excipias, qui fabulam ex ore Arnulphi cuiusdam, e Palaeſtina reducis epiſcopi, plus quam ſexcentis a Chriſti reſurrectione annis, ſeculo iam ſatis fabuloſo, exceperat, nimiae credulitatis ab ipſis Pontificiis, in quibus Canus eſt locorum theologicorum libro XI, cap. VI merito poſtulatus. Sed multo ineptius eſt, quod Chifletius idem hoc Bedae ſudarium ad Veſontinos delatum vult, *quia ſudarii Veſontini longitudo & celebritas Bedae narrationi apprime quadrant*, vt loquitur vir doctus. Nam vnde probabit, Iudaeos tegendo Saluatoris capiti ſudarium octo pedes longum adhibuiſſe? Vnde fidem faciet, vera eſſe, quae ex ſuperſtitioſi hominis ore tradit Beda, remotisſimus a loco miraculi? Vnde perſuadebit, ſudarium Bedae ad Veſontinos perueniſſe, omni veterum ſuffragio deſtitutus, ſiquidem ingenue ſcribit: *Quamuis nullis antiquorum hiſtoriis ſatis probari posſit, quomodo ab illo ſeculo, quo inuictum flammis apparuit, ad Veſontinos denique deriuatum ſit; ratione tamen ducimur, quae viris iudicio praeditis non videbitur parui momenti.* Quaenam vero eſt illa ratio? Bedae illud & Veſontinum eiusdem ſunt longitudinis & celebritatis. Longitudinem in dubium non voco, quam obſeruare fraudulentis hominibus non fuit difficile, quamque ipſe Chifletius ſollicitat, Bedam de pedibus Anglicanis, qui longiores ſint aliis, loqui animaduertens; ſed eamdem celebritatem non deprehendo, cum Veſontinum nullis antiquorum hiſtoricis laudari haud obſcure vir doctus fateatur. Et quicquid tandem ſit, illud ſane manifeſtum eſt, inter ſudarium capitis Chriſti & linteum Veſontinum immenſum diſcrimen eſſe, ſiquidem hoc iuxta



cum

çum capite impreſſam totius anterioris corporis figuram exhibet, ac, fatente Chifletio, cum ipſo ſepulchro eiusdem eſt longitudinis: quorum nihil de capitis ſudario dici poteſt. Enimuero Chifletio id abſurdum non videtur, linteum toti antico Chriſti corpori ſuperinductum capitis ſudarium vocari, cum pars anterior cuiusuis rei facies dicatur, & Nonnus tunicas appellet ſepulchralia Domini lintea. Sed non obſeruat vir eruditus, ſudarium capitis dici, non faciei; nec quaeri, quid metri rationem habens poeta, ſed quid Ioannes dicat. At Ioannes ſudarium capitis a linteis, quibus reliquum corpus inuolutum fuit, diſerte diſtinguit; Nonnus vero non de ſudario capitis ſolo, ſed vniuerſim de linteis ſepulchralibus loquitur, eaque amictus, ſeu tunicas, appellat. Nec mouemur ex Gretſero petita quaeſtione, an putemus, Chriſtum tantae non fuiſſe potentiae, vt ſindoni totam ſuam effigiem imprimeret, licet totum corpus non complecteretur? Vtique enim putamus, Chriſtum tantae fuiſſe potentiae; neque tamen inducimur, vt Chriſtum feciſſe credamus, quicquid ab eo profectum ſomniant nouelli & ſuperſtitioſi homines; in eaque re Chriſtianae fidei videmur nobis non male conſulere, ne huiusmodi ridiculorum figmentorum aſſertione ſacroſancta Domini diſciplina atheorum gentiliumque ludibrio exponatur. Non eſt plus momenti in altero illo argumento, quod alibi proponit Chifletius, *apud omnes*, inquiens, *in confeſſo eſt, ex ea ſindone* (Veſontina) *diuinum neſcio quem ſplendorem emicare, qui ſanctum quemdam horrorem ſpectantibus afferat: & cum pluries tentarit eam pictor imitari, ſic tamen perſtrictos eius oculos, vt ſacra ſtigma-*

*ta*,

*ta, & ſanguineae notae nunc palleſcerent, nunc ad viui-dum recentis ſanguinis colorem accederent: adeo vt bonus Apelles manum a tabula non ſemel ſit coactus abducere: & qui alia omnia ad viuum exprimeret, in hoc vno nihil ſe poſſe profeſſus ſit* [d]. Primo enim, an ita ſe res habeat, dubitari ſinunt illi Pontificiorum, qui Veſontinum linteum capitis ſudarium eſſe negant. Deinde permultae dantur artes deperditae, de quibus peculiari libro, ab Henrico Salmutho notis illuſtrato, egit Guido Pancirollus, vt taceam, poſſe fortaſſis alios pictores, quod inepti aut ſuperſtitioſi quidam Veſontini ſe non poſſe faſſi ſunt, dum, rem non pingi poſſe, dicentibus maius pretium conſtitueretur, quam accuratum opus adornantibus. Denique oportebat Chifletium eſſe memorem, qui non ſolum capite XXXII de linteis Chriſti illud in gratiam Philippi II depictum tradit, eiusque omnes colores accuratisſime deſcribit; ſed & eius figuram in libello ſuo exhibet. Quae de miraculis, Veſontini ſudarii virtute patratis, congeſſit, non ſine incredibilis ſimplicitatis admiratione legas cap. XI. Mortui reſuſcitati ſunt, aegri ſanati, coeci viſum receperunt, inde ab anno CIↃ CCCXLIX. Si quaeras, an hoc ex fidei alicuius hiſtoricis hauſtum ſit, reſpondet: *ex auorum traditione & chartis antiquis.* Et paullo poſt: *Ex eccleſiae Biſontinae archiuis.* Scilicet ex illorum chartis, quorum res agitur, qui inualeſcente ſudarii cultu diteſcunt; decreſcente decreſcunt. Cur non ex aliis res tantae ac tam ſtupendae commemorantur,

 qua-

(d) Part. II Veſontionis p. 108.

quarum famam Europam peruaſiſſe credibile eſt? Cur non amplius contingunt haec prodigia? Et demus contigiſſe, quod tamen ex ieiuna Chifletii narratione colligi a prudentibus nequaquam poteſt; annon ad detinendum in idololatria populum potuerunt a diabolo proficiſci, quod credere nos iubet diuina interdictio, qua creaturas adorare, ab iisque ſalutem ſperare prohibemur? Numquid enim Deus cultum, quem prohibet atque execratur, miraculis ſtabilire poteſt? Reſpondeat pro nobis Auguſtinus: *Contra iſtos (vt ſic loquar) mirabiliarios cautum me fecit Deus meus dicens; in nouisſimis diebus exurgent pſeudoprophetae facientes ſigna & portenta, vt in errorem inducant, ſi fieri poſſet, etiam electos* [e].

IV. Accedit ad argumentorum noſtrorum cumulum Romanorum traditio, qui non Veſontinis, ſed ſibi ſudarium capitis eſſe contendunt, & quidem in eccleſia Lateranenſi in capſella argentea, vt loquitur Petrus Numagen, Sacellanus Tigurinus, libro de reliquiis Romanis [f].

V. Quamquam eodem ſudario gloriantur coenobitae S. Cornelii prope aquas Grani, vnde Henricus Then, Soc. Ies. in vita Caroli M. cap. XX ſcribit: Anlangend vieler Reliquien Vertragung / hat erſtlich Ludouicus Pius Caroli M. Sohn und Succeſſor folgende fürnehme Stück von Aachen nach S. Cornelii Münſter verführt. —— Dasienig Tuch / welches abſonderlich im Grab von den andern abgeſchieden gefunden / *ſudarium Domini.* Paullo ante dixerat, Carolum M. templo Mariae vir-

(e) tract. 13 in Ioann. (f) Excerpta dedit Hottingerus to. 7 hiſt. eccl. ſec. XVI P. III p. 259.

virginis Aquisgranenſi intuliſſe particulam ſudarii capitis, vom Schweißtuch/ mit welchem Chriſti Angeſicht im Grab bedeckt/ welches nach Zeugniß des ehrwürdigen Bedae von den Feuer-Flammen durch göttl. Krafft erhalten iſt [g].

VI. Moguntini eodem gaudent, fatentibus Quaresmio ac Chifletio. Ne tamen hoc Veſontinum deprimeret, acutus eſt Chifletius more ſuo, Chriſtumque tot pannis contegit, vt nullam prorſus Euangeliſtarum rationem habuiſſe iure merito videatur. *Affirmare nolim*, inquit, *non fuiſſe breuius aliquod linteum, ſeu mantile, ſoli capiti Chriſti velando vltimo omnium & extrinſecus adhibitum, quod fortaſſe habent Moguntini* [h]. Seruatur autem Moguntiae in alto virginum monaſterio, & quotannis poſtridie paſchatis ex ambone quodam facibus praelucentibus explicatur & populo monſtratur [i]. Atque hoc ipſum, non vero Taurinenſe vel Veſontinum, pro vero ſudario capitis, cuius Ioannes meminit, habet Quaresmius [k].

VII. Denique idem illud capitis ſudarium Taurinenſes putant ſe poſſidere, quorum cauſſae patronos, Palaeotum & Mallonium, Chifletius capite VI & XXV hinc refellit, quod Taurinenſis ſindon ſit pedum duodecim; quod de ſudario Bedae, atque adeo de ſudario, cuius Ioannes meminit, & Veſontino dici nequeat. Sed probe obſeruatum eſt ſuperſtitioſo reliquiarum cultori,

 Qua-

(g) conf. Chiflet. de linteis Chr. c. 27. (h) p. 28. (i) ex Serrario Chiflet. p. 91. (k) tom. II elucid. terr. ſanct. p. 537.

quarum famam Europam peruaſiſſe credibile eſt ? Cur non amplius contingunt haec prodigia ? Et demus contigiſſe, quod tamen ex ieiuna Chifletii narratione colligi a prudentibus nequaquam poteſt; annon ad detinendum in idololatria populum potuerunt a diabolo proficiſci, quod credere nos iubet diuina interdictio, qua creaturas adorare, ab iisque ſalutem ſperare prohibemur? Numquid enim Deus cultum, quem prohibet atque execratur, miraculis ſtabilire poteſt? Reſpondeat pro nobis Auguſtinus: *Contra iſtos ( vt ſic loquar ) mirabiliarios cautum me fecit Deus meus dicens; in nouisſimis diebus exurgent pſeudoprophetae facientes ſigna & portenta, vt in errorem inducant, ſi fieri poſſet, etiam electos* [e].

IV. Accedit ad argumentorum noſtrorum cumulum Romanorum traditio, qui non Veſontinis, ſed ſibi ſudarium capitis eſſe contendunt, & quidem in eccleſia Lateranenſi in capſella argentea, vt loquitur Petrus Numagen, Sacellanus Tigurinus, libro de reliquiis Romanis [f].

V. Quamquam eodem ſudario gloriantur coenobitae S. Cornelii prope aquas Grani, vnde Henricus Then, Soc. Ies. in vita Caroli M. cap. XX ſcribit: Anlangend vieler Reliquien Vertragung / hat erſtlich Ludouicus Pius Caroli M Sohn und Succeſſor folgende fürnehme Stück von Aachen nach S. Cornelii Münſter verführt. —— Dasienig Tuch / welches abſonderlich im Grab von den andern abgeſchieden gefunden / *ſudarium Domini.* Paullo ante dixerat, Carolum M. templo Mariae vir-

(e) tract. 13 in Ioann. (f) Excerpta dedit Hottingerus to. 7 hiſt. eccl. ſec. XVI P. III p. 259.

virginis Aquisgranenſi intuliſſe particulam ſudarii capitis, vom Schweißtuch/ mit welchem Chriſti Angeſicht im Grab bedeckt/ welches nach Zeugniß des ehrwürdigen Bedae von den Feuer-Flammen durch göttl. Krafft erhalten iſt [g].

VI. Moguntini eodem gaudent, fatentibus Quaresmio ac Chifletio. Ne tamen hoc Veſontinum deprimeret, acutus eſt Chifletius more ſuo, Chriſtumque tot pannis contegit, vt nullam prorſus Euangeliſtarum rationem habuiſſe iure merito videatur. *Affirmare nolim, inquit, non fuiſſe breuius aliquod linteum, ſeu mantile, ſoli capiti Chriſti velando vltimo omnium & extrinſecus adhibitum, quod fortaſſe habent Moguntini* [h]. Seruatur autem Moguntiae in alto virginum monaſterio, & quotannis poſtridie paſchatis ex ambone quodam facibus praelucentibus explicatur & populo monſtratur [i]. Atque hoc ipſum, non vero Taurinenſe vel Veſontinum, pro vero ſudario capitis, cuius Ioannes meminit, habet Quaresmius [k].

VII. Denique idem illud capitis ſudarium Taurinenſes putant ſe poſſidere, quorum cauſſae patronos, Palaeotum & Mallonium, Chifletius capite VI & XXV hinc refellit, quod Taurinenſis ſindon ſit pedum duodecim, quod de ſudario Bedae, atque adeo de ſudario, cuius Ioannes meminit, & Veſontino dici nequeat. Sed probe obſeruatum eſt ſuperſtitioſo reliquiarum cultori,

 Qua-

(g) conf. Chiflet. de linteis Chr. c. 27. (h) p. 28. (i) ex Serrario Chiflet. p. 91. (k) tom. II elucid. terr. ſanct. p. 537.

timior enim & magis neceſſarius reſpectus eſt creaturae ad creatorem & conſeruatorem, quam tacti ad tangentem, vt clarisſime conſtat, ducitque verbi gratia, natura ſolis, eius ſplendor & ſtupendus curſus, multo euidentius ad Dei omnipotentiam agnoſcendam, quam ſudaria.

IV. Tertio obſeruari velim, eruditisſimos Pontificiorum ſtatuere, nullum plane ſanguinem a Chriſto in terra relictum; ſed omnem omnino fuiſſe reaſſumtum. Contrariam ſententiam erroneam & temerariam vocat Turrecremata apud Chifletium de linteis capite XXXVI. Cui nos Thomam Aquinatem iungimus, qui parte tertia ſummae quaeſtione LIV inquit: *Totus ſanguis, qui de corpore Chriſti fluxit, cum ad veritatem humanae naturae pertineat, in corpore Chriſti reſurrexit. Sanguis autem ille, qui in quibusdam eccleſiis pro reliquiis conſeruatur, non fluxit de latere Chriſti, ſed miraculoſe dicitur effluxisſe de quadam imagine Chriſti percuſſa.* Atqui Thomae doctrinam Vrbanus V anno CIↃ CCCLXXIX peculiari bulla vocat veridicam & catholicam. Apparet autem hinc, omnes, qui Chriſti ſanguinem in terra relictum negant, non poſſe non pro ſubdititiis habere ſudaria. Nam ſanguine Chriſti conſperſum & Veſontinum & Taurinenſe tradit Chifletius cap. XXV. De reliquis idem narrat cap. XXXVI ſolo forte Compendienſi excepto. At cuius pietatis ſit, vilisſimi animantis ſanguinem ſudariis adſpergere, ac pro ſanguine Chriſti adorandum exhibere, iudicent Pontificiorum cordatiores. Iudicent, an ſudaria non ſuppoſuiſſe exiſtimandi ſint, qui pecoris ſanguinem pro ſanguine Dei proprio, quo eccleſia redemta eſt[l], ſuppoſuere.

V. Quar-

(l) Act. XX, 28.

V. Quarto non eſt ſilentio praetermittendum, populum ſuperſtitioſum prorſus cultum ſudariis deferre, viam praeeuntibus oratiunculis publice receptis & approbatis. Parum refert, quid de religioſo cultu ac diſtinctione latriae, hyperduliae & duliae intricatius ac contra ſcripturam nugentur eruditi in Papatu; ſed hoc quaeritur, quam fiduciam in ſudariis collocet populus? De Veſontini cultu Chifletius quinto decimo capite: *Aegris eſt remedio, moeſtis ſolatio, torpentibus incitamento, periclitantibus ſaluti. Mirus eſt ad illud videndum & adorandum concurſus, & affluentium ardor, etiam a longinquis locis, & qua ſe Chriſtianorum fines pandunt: quodque etiam maxime mirum, omnes eo viſo laetiori & pacatiori animo reuertuntur ad ſuos lares.* Lubet iam percontari, an populus tot itinera ſuſcepturus, tot ſumtus impenſurus, tot moleſtias concocturus eſſet, ſi putaret, ſolatium animi & ſalutem a Deo vnice expectari debere? Sane ſi fructum ſudarii Veſontini, quem facit Chifletius, ſe a Deo obtinere poſſe per verbum & ſacramenta crederent, non peregre abirent cum officiorum a Deo iniunctorum, pecuniae etiam & ſanitatis iactura, ad ſudarium videndum. Promiſit Deus, ſe dona gratiae conceſſurum per euangelium & ſacramenta, eaque pro immenſa benignitate quibusuis in promtu eſſe voluit. Quae autem eſſet non dicam ſtultitia, ſed diuinae ordinationis confuſio, vt dona illa conſequaris, tanto ſumtu, incredibili moleſtia, ad ſudaria currere, ſi ſudariis aut nihil prorſus diuinae virtutis, aut ſaltem non maiorem efficaciam, quam verbo & ſacramentis, quae praeſto ſunt, ineſſe crederes? Nusquam Deus promiſit, ſe gratiae dona per ſudaria collaturum,

& tamen ſimplices illi homines ea in ſudariis quaerunt, atque hoc ipſo ſudariis etiam in ſe ſpectatis tribuunt effectus ſpirituales, dum coeleſti gratia ſe carituros putant praeſentisſimo licet Deo, ſudariis autem remotis, nec oculis vſurpatis, eoque minimum aliquid donorum ſpiritualium (verbi cauſſa, maiorem eorum menſuram) ſudariis tribuunt, quod Deo non tribuunt. Et qua ratione probabitur tandem, orationes non eſſe idololatricas, quibus deductio ad coelum & purgatio a vitiis a peplo Veronicae efflagitatur? Dicis, proprie haec a Deo peti, ſed per ſudaria; audi Arnobium libro VI contra gentes, quae eodem effugio vtebantur ac dicebant: *Erras & laberis, nam neque nos aera, neque auri argentique materias, neque alias, quibus ſigna conſiunt, eas eſſe per ſe Deos, & religioſa decernimus numina: ſed eos in his colimus, eosque veneramur.* Reſpondebat autem Arnobius: *Per tramites ergo quosdam, & per quaedam fidei commiſſa veſtras ſumunt atque accipiunt cultiones* (Dii,) *& antequam hi ſentiant, quibus illud debetur obſequium, ſimulachris litatis prius, & velut reliquias quasdam aliena ad illos auctoritate transmittitis? Et quid fieri poteſt iniurioſius, contumslioſius, durius, quam Deum alterum ſcire, & rei alteri ſupplicare? Opem ſperare de numine, & nullius ſenſus ad effigiem deprecari? Nonne illud eſt, quaeſo, quod in vulgaribus prouerbiis dicitur, fabrum cadere, cum ferias fullonem.* Profecto ſi ſudario ſanguinis profuſionem, genus humanum redemtum eſt, aut creationem vniuerſi tribuerem, quorum vtrumque filio Dei adſcribi debet; fieri hoc & impie & ſtulte dicturi eſſent ſaniores in papatu. At eadem inſania ſudario purgatio a

cri-

criminibus, & in coelum deductio adſcribitur, quae Chriſto adſcribenda eſt. Si hoc commodo ſenſu fieri exiſtimas, transfer hunc ſenſum ad priorem quoque loquendi formam, ac vide, quam commodus ſit. Vtrobique enim par ratio eſt, vnde & ſenſus vtrobique commodus, aut vtrobique inſulſus & idololatricus erit. Dum in ſudariis adorandis occupantur homines, de Deo ſaepe ne cogitatur quidem, atque adeo illud tempus, illa deuotio, Deo quaſi furto aufertur, tanta ſuperſtitione mentis oculos in ſudariis defixos habent, non diffitente incredibile hoc ſtudium Chifletio. Vide autem, quam honorificum ſibi reputet princeps, ſi tibi ciuitatem dono dediſſet, & tu praeſente Domino ſeruorum eius ſeruo gratias, quas mens concipere poteſt, maximas ageres, genua coram eo flecteres, eique ſalutem omnem adſcriberes, cauſſatus, coli a te principem in abiectisſimo ſeruorum. Non quaeritur, an ſeruus, vel gladius principis, principem repraeſentet, quamquam reſpectum vtique ad Dominum obtineat; ſed hoc quaeritur, an gratia principis rei minimi momenti, qua in conferendo beneficio ne quidem vſus eſt, an, inquam, gratia principis tali rei, vt gladio, adſcribi, & omnis ille honor, deuotio, tituli, quae principi debentur, deferri absque inſaniae nota poſſint, adeoque an deductio ad coelum, & purgatio a criminibus, ſudariis, quibus in hac re Deus non magis, quam influxu lunae vtitur, adſcribi, ab iisque efflagitari poſſit obtentu friuolo, coli in ſudariis Deum? Imo negandum hoc piis mentibus ac fatendum omnino erit, Diaboli hoc ſtudium, has artes eſſe inde ab ortu rerum, quocumque praetextu a fonte omnis bonitatis, Deo, mortales abdu-

cere ad riuulos, creaturas puta, vt haec corda occupent, colantur, adorentur, & creator debito priuetur obſequio. Hinc obtentus, ſudaria Chriſtum repraeſentare, quo nihil ineptius eſt ad probandum cultum religioſum. Taceo multas reliquias adorari, quae non ſunt imagines, adeoque Chriſtum non magis repraeſentant, quam principem gladius, vt clauos, ſpongiam, arundinem, lanceam, tunicam, faſcias Chriſti vel apud Chifletium capite vltimo.

VI. Quinto dignum eſt obſeruatu, Chifletium cap. XXII vltro agnoſcere cum Baronio, fraudem his rebus interuenire poſſe, & extitiſſe olim, qui falſas reliquias lucri cauſſa diſtraherent. Exemplum ſtupendum legere eſt in Langii chronico Citizenſi ad annum CIↃIↃIX e quo hauſit doctisſimus Albertinus in opere de euchariſtia lib. I capite XXIX. Speciatim vero Henricus de Pictauia, Trecenſis epiſcopus, in cuius dioeceſi olim ſudarium Taurinenſe aſſeruatum eſt, negauit, illud vere Chriſti eſſe, id alioqui non omittendum fuiſſe ab omnibus Euangeliſtis, ſi linteo diuinae corporis notae haeſiiſſent; contra vero auaritiae Decanorum & Canonicorum Lirinenſium adſcripſit, & redigendae pecuniae ac donariorum cupiditati, quod ii populorum excirentur conuentus, habitoque concilio interdixit ſudarii cultum. Idem iudicium fuit Petri de Arceys, quem Henricus ſucceſſorem habuit. Quamquam enim Clemens VII re non ſatis explorata primum permiſiſſet, vt populus in ſuperſtitione detineretur; obtinuit tamen Petrus anno CIↃ CCCXC ab hoc Pontifice diploma, vi cuius pannum quidem illum palam omnibus exhibere licebat, ſed ea lege, vt is, qui po-

pu-

pulo linteum exhiberet, publice & clara voce proclamaret: *quod figura ſeu repraeſentatio praedicta non eſt verum ſudarium Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed quaedam pictura ſeu tabula, facta in figuram, ſeu repraeſentationem illius*, ceu loquitur Clemens in diplomate apud Chifletium cap. XVII. At quicquid mouit Clementem, vt Taurinenſe pro ſubdititio haberet, id aduerſus reliqua omnia aut eadem, aut maiore veri ſpecie, proferri ſolet. Sunt enim hodieque in eccleſia Romana viri docti magnoque praediti iudicio, quibus omnis ſudariorum cultus religioſus parum probatur, quoties pugnantes de iis ſententiae & antiquis teſtibus carentes narratiunculae mentem ſubeunt. Imo deprehendunt viri probi in omni reliquiarum cultu manifeſtos abuſus, quos vtique abrogatos vellent. Neque enim probare poſſunt, quod, vel Onuphrio teſte, Petri corpus Romae vno in loco integrum, altero dimidiatum aſſeruatur, ne dicam de capite, barba, digitis, oſſibus alibi oſtendi ſolitis: qua de re Ioannes Rainoldus erudite diſputat lib. I de idololatria eccleſiae Romanae cap. I §. XI & cap. IX §. VII. Legeram in epiſtolis Salmaſianis de cruce [m], quotannis feſto die Mortualium Romae aliquem ex iunioribus cardinalibus, in coemeterio D. Petri, cadauer aliquod temere oblatum effodiendum curare, ac cuius hominis ſit, maris an foeminae, parum inquirere; ſed illico ſancti alicuius oſſa petentem, cuius ſancti velit, interrogare, ac D. Petri oſſa poſcenti partem oſſiculi in nomen Petri baptizati tradere, baptiſmi virtute tantumdem valituram, ac ſi ſancti fuiſſet,



(m) p. 395.

ſet, cuius nomen induit. Cui ego narrationi, vt ſum ab affingendi libidine alienus, fidem non adhibui, quod viderem, teſtes Pontificios Salmaſium non adduxiſſe. Didici autem paullo poſt ex Benedictinorum monachorum doctisſimi, Ioannis Mabillonii, epiſtola, ſub nomine Euſebii Romani ad Theophilum Gallum, de cultu ignotorum ſanctorum, edita Pariſiis CIↃ IↃCXCVIII & ab ipſo autore ad B. Carpzouium, Senatorem Lipſienſem, miſſa, baptizatorum ſanctorum nomen [n], valde receptum eſſe, atque e cryptis Romanis quorumlibet hominum cadauera (de quibus ſubinde dubites, an Chriſtianorum fuerint) erui, ex iisque nouos ſanctos parum circumſpecte fabricari: quem ritum Mabillonius eruditisſime, timidius tamen, impugnat. Cuius epiſtolae exemplum Latinum cum ad manus non ſit; nonnulla ex verſione Germanica, quae a viro quodam Pontificiae religionis, docto & veritatis ſtudioſo, adornata in vicina Herbipolenſi Academia proſtat apud Iobum Hertzium, huc transſcribam. Das gantze Werck / inquit Mabillonius [o], wird beyläuffig auf dieſe Weiß und mit folgenden Ceremonien vollbracht. Wenn nach zuvor abgelegtem Gebeth ein noch uneröffneter Sarg auf ienen alten Kirchhöfen zu Rom ſich findet / der mit dem einigen und den Nahmen Chriſti bemerckenden Griechiſchen Buchſtaben X, oder mit dem Zeichen einiger Palmen / oder Tauben / oder eines Hirten / oder andern desgleichen bezeichnet iſt; ſo

(n) p. 3 edit. Germ. (o) p. 31 ſeqq.

iſt; ſo wird ſolcher Sarg aufgedecket/ und die Gebeine des begrabenen Menſchens aus dem Sarg heraus genommen/ und alsdenn für ein gewiſſes Merckmahl einer abſonderlichen Heyligkeit gehalten/ wenn auf einige Art und Weiſe ein Nahme dem Stein eingegraben/ oder wenn ein gläſernes/ und mit Blut/ wie man davor hält/ beſpritztes Gefäß in dem Sarg aufbehalten worden und befindlich iſt. Nach dieſem werden ſolche Gebeine gewiſſen hierzu beſtellten Dienern/ üm ſelbige zu waſchen und zureinigen gegeben/ und nachdem ſie geſäubert/ pflegt der Cardinal Vicarius, das iſt/ des Pabſts Stadthalter/ oder des ſacrarii apoſtolici praefectus, ein Biſchoff Auguſtiner Ordens/ dem Heiligen einen gewiſſen Nahmen zuertheilen/ wann anders derſelbe noch keinen hat/ und ſolchen wieder in eine verſiegelte Kiſten zu legen. Endlich werden auch entweder von eben dem Biſchoff/ oder dem Cardinal Vicario, einige Zeugniß-Brieff ertheilet/ daß dieſe Reliquien in iedweder Kirche oder Capelle zur öffentlichen Verehrung deren Glaubigen ausgeſtellet werden mögen. Iſt der Leichnam noch gantz/ ſo pflegt der Cardinal Vicarius oder Stadthalter des Pabſts ſelbſt dieſes Zeugniß zugeben; iſt aber derſelbe nicht mehr gantz/ ſondern nur noch eine und andere Theile von demſelben vorhanden/ ſo wird ſolch Zeugniß von dem Biſchoff/ der da praefectus ſacrarii Apoſtolici, oder Päbſtlicher Sacriſtan iſt/ ertheilet/ und dadurch bekräfftiget/ daß dieſe Reliquien von der heiligen Verſammlung der ſo genannten Indulgentien und heiligen Reliquien unterſucht/ und für gültig be-

fun-

funden worden. Und darinn beſtehet nun die Unterſuchung iener unbekannten Heiligen und derenſelben Canoniſirung. Welche / ſie ſeyen nun gleich Heilige / oder gar Martyrer / unter dieſem oder jenem Nahmen in einem gebührlichen Ort vielleicht aufbehalten werden mögten; ob aber dieſes / daß man ſie nicht nur vor heilige hält / ſondern noch über das auf eine ſo gar überflüßige Weiſe verehret / der Kirchen Würde und Anſehen anſtehe / kan ich mir ſchwerlich einbilden. Haec & multa alia lectu digniſſima Mabillonius, quae nos de publice recepta reliquiarum ſuppoſitione dubitare nullatenus ſinunt. Iudicent autem intelligentes ac probi, quas reliquias quaquauerſum mittant Romanenſes? Nam etſi non facio cum celeberrimo Burneto, qui primitiuos Chriſtianos ordinaria ſacra & conuentus negat in cryptis Romanis celebraſſe [p]; tamen ex immenſa fere cryptarum ſtructura, inuentisque ibi ethnicorum ſepulchrorum inſcriptionibus, ac Aegyptiacorum idolorum fragmentis, denique e cryptis Neapolitanis, quas a primis Chriſtianis adornatas nemo dicet, recte colligo, miſeram primitiuorum Chriſtianorum gentem ſtupendum opus non conſtruxiſſe, nec ſola Chriſtianorum cadauera ibi recondita eſſe [q]. Demus autem, quod falſisſimum eſt, non niſi Chriſtianorum corpora in cryptis haberi; numquid omnes iis illati primitiuae eccleſiae membra fuerint, cum quaedam inſcriptiones ſanctarum Catharinae & Margarithae mentionem faciant (quae noua nomina ſunt)

---

(p) Part. II Itineris Ital. p. m. 151. (q) prolixius hoc probaui lib. de eccleſia ſubterran. §. 55.

ſunt) ac praeterea primitiuorum Chriſtianorum non fuerit infinita illa multitudo, quam numerus corporum indigitat? Sed demus & hoc, omnia eſſe primitiuorum Chriſtianorum; numquid primitiui Chriſtiani omnes ſancti fuere? Contrarium ſane luculenter docent Cyprianus [r] & Euſebius [s], ne plures afferam.

VII. Breuitatis ſtudio reliqua, e quibus rectum de ſudariorum cultu moderno iudicium pendet, praetermittimus, atque ex dictis liquido argumentamur, Pontificiorum ſudariorum cultores non ſolum nullum ſuae adorationis mandatum ex ſcripturis, aut exemplum ex XII primorum ſeculorum eccleſia proferre poſſe; ſed etiam inanimes has creaturas adorare contra Dei mandatum, & veteris eccleſiae praxin, cultu inepto, iuxta obſeruationem IV atque idololatrico, ex obſeruatione I, II, & IV creaturas, inquam, de quibus ſapientisſimi Pontificiorum partim fatentur, quod pro veris ſudariis ſint ſuppoſitae, ex obſeruatione III & quinta; partim neſciunt, an non ſint ſuppoſitae, ex eadem obſeruatione; eoque cultum incredibilem ſuperſtruere nullius momenti fundamento.



(r) P. I opp. de lapſis p. 123. (s) lib. VIII hiſt.

# DISSERTATIO TERTIA
DE
# FASCIIS CHRISTI.

## CAPVT I.
## *De faſciis infantiae Chriſti.*

§. 1. *Locus Lucae II, 7, 12.*

§. 2. *Σπαργανῦν quid?*

§. 3. *Faſciae an pollutae?*

§. 4. *Ignatius Loiola in ſtabulo natus.*

§. 5. *Faſciae Chriſti aſſeruatae.*

§. 6. *Cultae non ſine ſuperſtitione.*

§. 7. *Gregorii Nyſſeni & aliorum de iis meditatio.*

I.

ETsi faſcia cuiusuis generis ligamen notat; plerumque tamen linteum eſt longum magis, quam latum, quo aliquid conſtringi, aut inuolui ſolet [a], quo ſenſu etiam capiti circumdatam vittam Seneca epiſtola LXXX faſciam dixit, *vides*, inquiens, *illum Scythiae Sarmatiaeque regem, inſigni capitis decorum? Si vis illum aeſtimare, totumque ſcire qualis ſit, faſciam ſolue. Multum mali ſub illa latet.* Vſitatisſime lintea illa longa, quibus infantes inuoluuntur, faſciarum nomine veniunt, quarum vtilitatem idem ille ſapientiae magiſter de beneficiis lib. VI cap. XXIV celebrat. *Non vides*, inquit, *quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes ad ſalubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora ac repugnantium diligenti cura fouent: et ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura conſtringunt.* Atque huiusmodi pannis Saluatorem noſtrum, perinde vt alios infantes, inuolutum fuiſſe, euangelio docemur, cuius verba nunc paullo ſollicitius conſiderare animus eſt. Ita vero Lucas: *Et genuit filium ſuum primogenitum*, ϰ̀ ἐσπαργάνωσεν αὐτὸν, *& faſciis inuoluit eum, & repoſuit eum in praeſepi.* —— *Inuenietis infantem* ἐσπαργανωμένον, *faſciis religatum, iacentem in praeſepi* [b].

II. La-

(a) De vocis ſignificatu antiquo vid. Dempſter ad lib. v cap. 35 antiqu. Rom. Roſin. p. 586; de medii aeui vſu vid. Du Freſne gloſſar. med. Latin. to. III col. 363. (b) Luc. II, 7. 12.

II. Láceras fuiſſe has faſcias, ratione non vna cum Pontificii, tum quidam noſtratium probare annituntur, hoc in primis argumento ducti, σπαργανοῦν notare laceris pannis inuoluere, a σπαράσσειν, lacerare, diſcerpere. Verumenimuero non tam a σπαράττειν eſt σπαργανοῦν, quam a σπειρᾶν, in ſpiram contrahere, ac notat infaſciare, ſeu quibuscumque faſciis inuoluere, vnde Plutarcho Meleager eſt τῇ πορφύρᾳ σπαργανώσας, purpura infantiliter inuolvens Aridaeum [c]. Eodemque ſenſu Ariſtoteles de hiſtoria animalium, lib. VII cap. IV de mulieribus partum menſe ſeptimo edentibus dixit: σπαργανοῦσιν ἐρίοις αὐτά; *faſciis ex lana confectis eos inuoluunt.* Nihil igitur praeſidii eſt in his Lucae verbis, quo Cornelius a Lapide [d] viles & pauperes faſcias probare poſſit; ac videtur illa de laceris faſciis ſententia a monachis excogitata, qui perpetuam vouent paupertatem. Quae enim de Mariae paupertate tradi ſolent, vel vnus Epiphanius, qui eam virginem ἐπίκληρον fuiſſe innuit, ſatis reddit dubia, vt a doctiſſimo Caſaubono oſtenſum [e].

III. Quapropter Hilarius ſecundo de Trinitate ante finem fallitur, quando pannos ſordere ſcribit, ſiue id de laceris, ſiue de ſanguine pollutis faſciis intelligat. Nam etſi ſordidas ac ſanguine pollutas Graeci non pauci exiſtimarunt; tamen Leo Allatius Diſſertatione II de libris eccleſiaſticis Graecorum multos veterum contrarium ſtatuiſſe notat, atque inter alia haec Zonarae in canonem LXXIX Trullanum producit [f]: *Eſt vero puerperium e-*

*mis-*

---

*(c)* lib. poſter. de fortun. Alexandr. p. m. 91. *(d)* ad Luc. II, 7.
*(e)* exerc. I ad Baron. appar. Ann. n. 30 p. m. 88. *(f)* p. 284 ſq.

*miſſio foetus, quam doloris ſenſus & profluuium ſanguinis comitantur, quibus quidem malis nullatenus obnoxiam fuiſſe Deiparam credimus.* Et Alexii Ariſteni verba: Ἀλόχευτον ὁμολογοῦμεν τὸν ἐκ τῆς παρθένου θεῖον τόκον, ὡς καὶ ἀσπόρως συστάντα, *Absque vllis ſecundinis diuinum ex virgine partum, vt qui ſine ſemine fuit, confitemur.*

IV. Locus, quo Chriſtus natus ac pannis inuolutus fuit, non eſt extra controuerſiam poſitus, vt prolixe oſtendit Guilielmus Saldenus otiorum theologicorum exercitatione XI [g]. Pontificii tamen, quod ſciam, ad vnum omnes factum id in ſtabulo contendunt, in eaque re adeo non admittunt dubitationem, vt etiam multae mulieres hodienum in ſtabulo pariant, teſte Cornelio a Lapide [h]. De Franciſco aliunde conſtat, in ſtabulo eum lucem primum adſpexiſſe; de Ignatio Loiola vero Drexelius teſtatur his verbis: *Mater ſancti Ignatii Loiolae Marina, domo Baldenſis, claro genere nomineque foemina, cum hunc ipſum filium parturiret, ingenti erga natalem Domini affectu in ſtabulum ſe deferri iusſit, vt eo loci pareret, vbi virgo Deum genuiſſet, nec enim meliore ſe loco dignam cenſebat in puerperio, quam fuiſſet mater Dei, quae peperiſſet in ſtabulo* [i]. Noſtri ab eadem ſententia non facile recedunt, quamquam praeſepi nec bouem & aſinum alligant; nec foeno illud replent.

V. Quo peruenerint faſciae, Pontificii diſputant. Communis fabula eſt, Eudoxiam, Theodoſii coniugem, a Iuuenale, Hieroſolymitano epiſcopo, accepiſſe, inde ad Pulcheriam Auguſtam delatas, ab eaque cum imagine Mariae



(g) p. 809. (h) l. c. (i) to. III opp. p. 280.

riae a Luca depicta in Conſtantinopolitano viae ducum templo collocatas eſſe [k]. Inde Carolus M. ad Aquisgranenſes pertulit, vbi ſeptimo quouis anno populo exhibentur, & maioribus reliquiis annumerantur, ceu tradit Henricus Then in vita Caroli cap. XVIII. At Chifletius Aquisgranenſium faſciarum oblitus eſt cap. XXVIII vbi ſcribit: *Hodie creduntur diuiſae variis locis. Habentur Romae in templo S. Mariae Maioris, Conſtantinopoli illuc illatae: Duaci in templo S. Amati: Auguſtae Vindelicorum, in aede ſumma D. Virginis: in baſilica Diuae Carnotenſis & alibi.* Sed has nugas multis poſt Chriſti natiuitatem ſeculis excogitatas, & ex vno Nicephoro aliisque neotericis Graeculis hauſtas, pridem eruditisſimus Caſaubonus [l] detexit, quibus adeo non immorabimur. De lapide, ſuper quo Maria faſcias lauaſſe creditur, ex clarisſimi viri, Thomae Smith, eccleſiae Anglicanae presbyteri, ſupplemento ad Conſtantinopoleos notitiam haec adiicimus: *In porticu Boreali eccleſiae S. Sophiae in pauimento ſternitur tabella marmorea ſubrubri coloris, e Palaeſtina, vt aiebant, aduecta, ſuper quam beatisſimam virginem faſces telasque, quibus erat obuolutus Chriſtus infans, lauaſſe & Chriſtiani & Turcae fabulantur* [m].

VI. Ita eſt, multa de faſciis nugantur Graeci recentiores; ac, ſi Pontificiis fides adhibeatur, in honorem earum baſilicam erexerunt, inſtituto inſuper anniuerſario die feſto, vltimo Auguſti, vt ex Lippomanno Baronius, Drexelius, Cornelius a Lapide, Chifletius, Then aliique com-

(k) Chiflet. p. 97. (l) ad ann. I n. IIX Baronii. (m) p. 124.

commemorant. Verum recte monet Caſaubonus, parum tribuendum eſſe Lippomanno & quos laudat, Euthymii ac Germani Graecae credulitati, ac in lectionario eccleſiae Graecae nihil de feſto faſciarum haberi: in menologiis vero vltimo Auguſti die annotari commemorationem Zonae B. virginis, non faſciarum. Quamquam autem ex Germani verbis, quae ex Simeone Metaphraſta Thenius adducit, facile cognoſcitur, vno eodemque die & faſciarum & Zonae commemorationem Graecis quibusdam in vſu eſſe; non video tamen, vnde probari poſſit, eum diem omnibus Graecis feſtum fuiſſe, cum non ſolum illud fateri cogantur Romanenſes, a quibusdam neotericis Graecis eum inſtitutum eſſe; ſed & ex mente inſtituentium non ſuperſtitioſo cultu, verum beneficiorum, quae faſciis inuolutus puer mundo parauit, commemoratione fuiſſe peragendum.

VII. Exhibeant autem ſiue Graeci quidam, ſiue Pontificii, faſciis hisce cultum, quem velint; nos infantem iis inuolutum veneramur, cuius inuolutionem myſterio nequaquam carere credimus. Recte Gregorius Nyſſenus de ſancta Chriſti natiuitate: *Speluncam quum videris, in qua naſcitur Dominus, ſubterraneam ac lucis expertem, hominum cogita vitam, in qua verſatur is, qui illuceſcit & apparet iis, qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent. Faſciis autem conſtringitur, qui catenis peccatorum noſtrorum circumdatur & oneratur* [n]. Et doctisſimus Ieſuita, Hieremias Drexelius: *Ne miremur, hic infanti Chriſto palmulam vtramque a matre faſciis ligatam.*

(n) opp. p. m. 73.

*tam. Priſcō aeuo iratus Deus vtraque manu feriebat noxios. Aegyptum certe plagis ac ſuppliciis decemplicibus percusſit, vtraque profecto manus ad inferendos ictus fuerat compoſita, ſenſerunt decem ferientis digitos Aegyptii. Ipſimet hoc fasſi, digitus Dei, inquiunt, hic eſt. Deinde virgo puerpera has filii manus clauis olim figendas iam pannis ligauit, vt eas velut aſſuefaceret ad perferenda clauorum vincula, quae pertuliſſent pannorum* (o). Nec inepte Engelgrauius: *Omnia, quae cernis, amorem ſpirant: manus non fulmen rotant, ſed faſciis & vinculis amoris conſtringuntur, vt merito gloriari liceat, obligatum nobis nos habere Deum* (p).

# CAPVT II.

## *De faſcia pedilauii, iudicii & coxarum.*

### I.

PROGREDIMVR ad linteum illud, ſeu faſciam, qua praecinctus Saluator diſcipulorum pedes abſterſit. Non licebat Chriſto per apoſtolorum ambitionem vel in vltima coena eſſe quieto. Oriebatur enim lis inter illos, quis debeat maximus haberi (q): quam vt ſopiret Dominus, conſurgit, & λα-

(o) P. III opp. p. 402 ſeq. (p) Panth. coeleſt. P. poſter. p. 332. (q) Luc. XXII, 24.

λαβὼν λέντιον, ſumens linteum ſuorum pedes lauat atque abſtergit[r], praeiturus viam ad humilitatem, ſiquidem hoc munus ſeruorum erat [s]: Henricus Then in vita Caroli M. cap. XX refert, hanc faſciam olim Aquis Grani aſſeruatam Ludouicum Pium in monaſterium S. Cornelii transtuliſſe. Verum Petrus Numagen Romae in eccleſia Lateranenſi aſſeruari docet [t]. Addunt ex Leone Oſtienſe, particulam eius ardentibus prunis impoſitam mox in colorem ignis verſam eſſe, amotis tamen carbonibus ad priſtinam ſpeciem mirabiliter rediiſſe [u]. Sed quaeras non immerito, vbi faſcia primis decem ſeculis delituerit, & an pro miraculo eam rem habeant, ſi linteum quoddam carbonibus impoſitum non comburatur?

II. De faſcia, qua Saluatoris facies in iudicio operta eſt [x], neſcio an glorientur Pontificii. Illud quaeri inter doctos video, an linteo ideo circumdata ſit facies, quod mos obtineret, vt cruciariorum vultus obuelaretur, in quam ſententiam Henricus Kippingius exercitatione IV de cruce concedere videtur; an vero id per ludibrium factum ſit, quod nobis placet. Probat autem ſententiam noſtram, qua id militum petulantiae adſcribitur, vox percutientium: *diuinare*, a quo percuſſus ſis. Cum enim Chriſtus haberetur pro propheta; faciem linteo obducebant, oſtenſuri, praeſentia eum ignorare, eoque futura multo minus praedicere poſſe. Accedit, Chriſtum, cum id fieret, nondum fuiſſe damnatum. At Romanorum militum mos erat, damnatorum faciem obuelare, non eorum,

K

(r) Ioan. XIII, 4, 5. (s) conf. Octau. Ferrarius de re veſtiaria P. 1 p. 138. (t) l. c. Hottingeri. (u) Chiflet. c. 6. (x) Luc. XXII, 64. Marc. XIV, 65.

rum, qui adhuc coram iudice conſtituti erant. Vnde ferale carmen: i lictor obnubito, & infelici arbore ſuſpendito.

III. Coxarum faſciae, qua Chriſtus ſecretiores corporis partes in cruce obuelatas habuit, non facit ſcriptura mentionem. Nihilominus eccleſia non indulget, Chriſtum prorſus nudum pingi, etſi conſtat, cruciarios vulgo nudos ſuſpenſos, & Chriſti veſtimenta inter milites diuiſa eſſe. De cruciariis Salmaſius [y] vrget Arriani locum, quo eos veſtibus exui tradit, perinde vt hos, qui in balneo lavantur. Verum accurate inſpicientibus Arriani verba id, quod de crucifixis addit, videbitur ad manuum extenſionem potius, quam omnimodam corporis nuditatem referri. Ita enim ait: *Vt in balneo veſtibus exutus & te ipſum extendens, vt ſolent crucifixi, hinc inde friceris.* Demus autem, cruciarios omnino nudos fuiſſe; probabile tamen eſt, quo minus idem in Chriſti ſuſpendio fieret, diuinam prouidentiam obſtitiſſe. Quamquam igitur nec Abulenſem ſequimur, qui Chriſtum cum femoralibus pependiſſe vult [z]; nec cum Anſelmo, Brigitta & Quaresmio [a] faſciam Mariae iuſſu ei iniectam eſſe, pro certo habemus, aut cum Nicolao Fontano [b] velum nimium extendimus; videtur tamen omnino probanda honeſtisſima Chifletii opinio, quam capite XXXII his verbis edisſerit: *Minime aſſentior Gretſero, Ianſenio, Suari, aliisque apud Lorinum exiſtimantibus, pependiſſe Chriſtum in cruce plane nudum, & absque tegumento vllo ad partes, quas*

(*y*) de cruc. p. 439. (*z*) ap. Chiflet. c. 32. (*a*) l. c. p. 443. (*b*) in ep. quam Anticritico ſuo ſubiecit Nihuſius.

*quas tegi iubet natura.* Illud vero condonandum eſt immenſae viri ſuperſtitioni, quod ſe huius veli veſtigia in ſindone Taurinenſi agnouiſſe cum Salmerone exiſtimat.

IV. Vbi hodie ſit faſcia haecce, non eſt ſatis exploratum Pontificiis. Numagenius ait, in eccleſia Lateranenſi haberi capſellam argenteam, vt loqui amat, & in ea pannum ſeu linteamen, *quod B. virgo de ſuo capite depoſuit, & fecit poni circa femoralia filii, quando pendebat nudus in cruce* [c]. At Quareſmius: *Velum illud Aquisgrani aſſeruari perbibetur.* Huic aſſentitur Thenius in vita Caroli M. cap. XVIII vbi illud a temporibus Ludouici Pii cuſtodiri ſcribit. Das letzte Tuch iſt / inquit, / mit welchem der allerheiligſte Leib unſers Herrn am Creutz bedeckt / und welches mit dem göttlichen Blut reichlich befeucht iſt. Subiicit etiam has preces, quibus faſciam cum aliis quibusdam linteis venerantur. Dieſes Heiligthum / ait, wird mit beygeſetztem Gruß und Gebetlein / ſo am ermeldten Altar der Mutter Gottes aufgehenckt / verehret. Salutatio ſanctuarii Aquisgranenſis:

*O theſaure pretioſe,*
*In quo veſtis glorioſae*
*Virginis reconditur.*
*Atque rubens iſta veſtis,*
*In qua Chriſti ſanguis teſtis,*
*Dum nudum tegit, funditur.*



(c) ap. Hotting. l. c. p. 259.

*Humilesque panniculi*
*Ieſu infantis paruuli,*
*Quibus in cunis inuoluitur.*
*Et pannus mirae dignitatis,*
*In quem ſublimis ſanctitatis*
*Baptiſtae ſanguis conditur.*
*O vere ſanctuarium,*
*Sanctum ſanctorum omnium.*
*Tegens in patibulo,*
*In vtero, in ſtabulo.*
*Salue fili, ſalue mater,*
*Salue ſanctuarium,*
*Et nos ſalua ſancte Pater*
*Per matrem & filium.*

Begrüßung des Aachiſchen Heiligthums:

O Hochtheurer edler Kaſt/
Der in ſich das Tuch verfaſt/
So Mariam kleidet hat.
Der das rothe Kleid einſchleüſt/
In dem Chriſti Blut abfleüſt/
Als er es am Creutz an hat.

Ne=

Neben dem die ſchlechten Tücher/
Drin gewickelt mein Erlöſer/
Da er in der Krippen lag.
Letzt das Leinwad zart und weiß/
So des Täuffer rother Schweiß
Hat gefärbt und theur gemacht.
O du warhafftes Heiligtum/
Das heilig aller Heiligthum/
Chriſtum am Creutz bedecket haſt/
Im Leib/ im Stall ümgeben haſt.
Dich Sohn ich grüß/dich Mutter grüß/
Dich Heiligthum zugleich ich grüß/
Durch Sohn u. deſſen Mutter rein/
Wolleſt uns/o Vater/gnädig ſeyn.

## CAPVT III.

## *De faſciis ſepulchralibus.*

§. 1. *Chriſtus in ſepulchro faſciis inuolutus.*

§. 2. *Totum corpus obuelantibus.*

§. 3. *Sine magno linteo a faſciis diſtinctio.*

§. 4. *Vnde amplae Pontificiorum ſindones ſubdititiae.*

I.

QVAM lubrico fundamento innitatur cultus ille, qui Taurinenſium, Veſontinorum & Compendienſium ſindoni hodie defertur, vel vnico hoc argumento conſtare poteſt, quod haec lintea ſunt late patentia, & ab amplis illis lectualibus, quibus nos vtimur, magnitudine non diuerſa. At Chriſtus ſepulchralibus faſciis, Iudaeorum more, non magno linteo inuolutus eſt, ceu liquido oſtendunt euangeliſtae.

II. Mos erat Iudaeis, mortuorum capita paruo linteo velare, reliquum vero corpus inſtitis religare, perinde vt infantes inuoluuntur ſine amplo aliquo linteo. Ita involuebatur Lazarus, qui e ſepulchro veniebat ligatus pedes & manus κειρίαις, inſtitis & facie ſudario obuelata [d]: vbi recte notat Salmaſius: *Cum dicit pedes & manus ligatas inſtitis, ſiue faſciis habuiſſe, de toto corpore intellexit. Nam in mortuis pollingendis manus demiſſas & ad latera iunctas ſimul cum ipſo corpore & ad corpus ipſum colligabant* [e]. Sunt autem κειρίαι, inſtitae, δεσμοὶ ἐπιτάφιοι, faſciae ſepulchrales, quas hoc loco [f] Ioannes ὀθόνια; ceteri Euangeliſtae ſindonem vocant, non integram & amplam; ſed mundam. Manet autem munda, quae antea talis fuit, licet in faſcias diuideretur. Sane ὀθόνια faſciae ſunt, vt ὀθόνιον paruum linteum eſt Theophraſto Ereſio lib. VII cap. III de hiſtoria plantarum, ſeu lacinia, in qua allium ſeritur colligatum, vt melius naſcatur aceruatim ſato ſemine, quam ſparſo. Nec id diffitetur Chifletius, Chriſtum faſciis inuolutum eſſe, iisque

(d) Ioan. XI, 44. (f) l. c. p. 381. (e) XIX, 41. XX, 6, 7.

que totum corpus ambientibus. Diſerte enim capite VII ſcribit: *Duo mihi declaranda ſuſcepi: alterum, inſtitas, ſiue faſcias ſepulchrales, in ſepultura Iudaica non extremis manibus duntaxat & pedibus religatas fuiſſe funiculorum inſtar, ſed totum cadauer, vno capite excepto, complecti ſolitas, & circum illud conuolui.* Et paullo poſt eodem capite: *Igitur, quod faſciae ſepulchrales, ſiue inſtitae, toti corpori circumuolutae ſint, plane ſicut faſciae infanti in cunis iacenti circumduci ſolent, indicat Herodotus in Euterpe:* Mortuum vbi abluerunt, totum corpus eius in ſindone byſſina, inciſis loris, obligant. *Haec ille de Aegyptiis, ex quibus pleroſque ritus ſuos hauſere Iudaei: et ſignificat non obſcure S. Ioannes, vbi dicit:* acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudaeis ſepelire. *Ecce non pedes tantum, aut manus, ſed corpus ligatum dicit; & quidem non anguſtis taeniis, & quaſi funiculis, ſed linteis; nempe faſciis ſepulchralibus, iuſtae latitudinis, ex linteis, ſeu linea tela in longum recto filo abſciſſa.* Imo addit: *Non mihi dubium eſt, quin inſtitae, ſeu faſciae, etiam Lazaro cum manibus pedibusque totum corpus adſtrinxerint, vt pueris, qui faſciis inuoluti.*

III. Fatetur ergo Chifletius, totum Chriſti corpus faſciis inuolutum fuiſſe, eumque ſenſum eſſe verborum Ioannis, qui Lazarum manus pedesque faſciis religatum & ideo dixit, vt miraculum, quo factum eſt, vt homo manus pedesque religatus ambularet, tanto clarius cognoſceretur. Vnde autem probabit Chifletius, inſtitas non nudo corpori circumductas, ſed ſub illis linteamina quaedam magna toti corpori partim ſubſtrata, partim ſuperextenſa eſſe? Linteis, quibus Chriſti corpus inuolutum eſt, ligauerunt Dominum, vt ait Ioannes. Ergo tantum faſciarum meminit Euangeliſta,

cum

cum de magnis illis linteis dici non poſſit, iis corpus ligatum fuiſſe. Quare illa de magnis linteis ſententia ipſi Chifletio non certa, ſed hac noſtra ſaltem probabilior eſt capite I V vbi ſcribit: *Verbum* L I G A V E R V N T *apud Ioannem* F A S C I A S *indicat, ſiue inſtitas, quas expreſſe memorat in funere Lazari. Quia vero addit Ioannes, ligauerunt linteis; merito dubitari poteſt, num idipſum ſint inſtitae, quod linteamina; & an in Chriſti funeratione, praeter inſtitas, alia adhibita ſint linteamina, quod puto probabilius.*

IV. Cum igitur, Chriſtum faſciatim inuolutum eſſe, ex vocibus ὀθόνια, ἐνειλίσσειν & ἐντυλίξαι, quibus euangeliſtae vtuntur, liquido appareat; Ioannes etiam diſerte ſcribat, Chriſtum linteis illis, quorum mentionem facit, ligatum fuiſſe, illeque mos Iudaeis, & deinceps Chriſtianis (vt Kiiouienſibus olim, teſte Herbinio cap. V I I I de cryptis Kiiouienſibus) frequentatus ſit, vt ſine magnis linteis mortuos inſtitis inuoluerent; merito concludimus, Chriſtum, more gentis, non linteo magno, qualia ſunt Taurinenſe, Compendienſe & Veſontinum; ſed ſindone in faſcias ſciſſa fuiſſe inuolutum. Vnde & in tota primitiua eccleſia nusquam magnorum linteorum meminerunt ſepulturae Chriſti interpretes; ſed tantum faſciarum, quas olim Pulcheriam Auguſtam aſſeruaſſe ſcribit Chifletius cap. X X V I I I vbi & partem earum hodieque haberi ait in Aquitanicae Galliae ciuitate Albienſi. Imo cum magnae illae ſindones vix trecentis abhinc annis in eccleſia ceperint innoteſcere, ſiquidem Chifletius mortalium neminem producere poteſt, a quo earum mentio ante annum CIↃ CCC facta ſit; non ferent aegre Pontificii, ſi ſocietates ſudariorum, in quas hactenus conceſſerunt, cum omni eorumdem cultu audiant a viris fabularum pertaeſis improbari.

DISSER-

# DISSERTATIO QVARTA
DE
# MORTIBVS SOCINIANORVM
QVI
## DOCTRINAE SVAE VIRVS IN ITALIA GALLIA GERMANIA ET POLONIA PRIMVM SPARSERVNT.

## PROTHEORIA.

I.

SOCINIANAE religionis autores aeque ac fautores, qui virus ſuum in Italia, Gallia, Germania, Polonia ac Tranſyluania primum ſparſerunt, ſi Laelium Socinum, in medio aetatis curſu ſublatum, excipias, plerique omnes ignobili horrendoque mortis genere extincti ſunt. Id vero Gothofredus Arnoldus in hiſtoria eccleſiaſtica, quae nullam non orthodoxorum calamitatem ad diuini iudicii ſpecimina transfert, partim ſilentio premit, partim mendaciſſime commemorat. Quippe vniuerſalem ſyncretiſmum pro virium ingeniique ſui modulo promouet eadem, qua Sociniani, opinione ductus, ſalutem obtineri poſſe in quocunque coetu Chriſtiano, Deique verbum ſatis pure praedicari, ſi praxis Chriſtiana vrgeatur. Haec vero praeconcepta opinio, acceden-

te cumprimis in Nicaenum aliaque eccleſiae Chriſtianae ſymbola furore, non poterat non iniquiſſimi libri conditorem conciliare Socinianis, vt omnem eorum hiſtoriam deprauaret veritatis transfigurator, ceu in pari negotio loquitur Irenaeus lib. III cap. IV aduerſus haereſes.

II. Non eſt autem ferenda haec petulantia, quae male narrando res in eccleſia geſtas ad Libertinorum vota corrumpit. Licet enim noſtra eccleſia nullum vmquam Socinianum capitali ſupplicio affecerit, neque ſententiam in Seruetum, Gentilem aliosque latam commendet aut tueatur; tamen non poſſunt non in Arnoldo fidem integritatemque deſiderare, quicumque rerum periti eius de Socinianiſmi autoribus commentationes legunt. Primo enim ex Sandio & Lubieniecio, hiſtoricis Socinianis, fere omnia hauſit, negatis promiſcue aut in dubium vocatis relationibus eorum, qui Sociniana labe haud fuerunt infecti. Ludit vocibus, ac torquet omnia, ne verum vsquam dicat, ſine adiectis dubitandi ratiunculis, quas excogitauit. Adeo verum hodieque eſt illud Tertulliani quarto aduerſus Marcionem: *Semper haeretici aut nudas & ſimplices voces coniecturis, quo volunt, rapiunt: aut rurſus conditionales & rationales ſimplicitatis conditione diſſoluunt.* Deinde ſupplicia Socinianorum non tam hiſtorico more enarrat, quam adornata illius gentis apologia impugnat, non animaduertens licet nonnulli praeter veteris eccleſiae morem ſublati ſint; agnoſcendam nihilominus vltricem Chriſti manum, exempla in hoſtes ſuos ſtatuentis magna animi deuotione celebranda. Neque enim opinor, Chriſtum otioſum certaminis ſpectatorem, vel

Ser-

Seruetum martyrem dictum iri ab Arnoldo, cum adeo nihil cum veris martyribus commune habeat fraudum ſtruendarum artifex, vt potius diaboli ſacrificiis videatur annumerandus. Denique ſupplicia Socinianorum ſummo ſtudio collegit; nec vllum, quod cognitum habuit, reticet; verum tragicos exitus, eorum, quos Socinianorum hoſtes vocat, interuentu nequaquam accerſitos, inuoluit ſilentio. At enim vero vix in maximis coetibus Chriſtianorum tot primarii doctores adeo tragico ac ſingulari obitus genere extincti leguntur atque in exigua illa Socinianorum familia; par omnino erat, iſta ſine placenti ſtudio odioque commemorari, ac lectoribus relinqui iudicium & facultatem ſiue diuinae vltionis veſtigia, ſiue humanae malitiae atrocitatem in iis animaduertendi. Quod quum appareat ab Arnoldo de induſtria praetermiſſum, ipſimet eius amici nunc tandem fatentur, ingenui hiſtorici munus ab eo nequaquam fuiſſe obſeruatum, ſed corruptam veritatem, peccata hoſtium Chriſti aduerſus Deum, & iudicium Dei aduerſus hoſtes Chriſti reticendo, vt fere loquitur Lactantius de mortibus perſecutorum capite LII.

III. Itaque operae pretium videtur, praecipuorum Socinianorum, qui in eccleſias Proteſtantium peſtilentem doctrinam primi intulerunt, exitum vna ſerie deſcribi, vt & haec pars eccleſiaſticae hiſtoriae, multis mendaciis fraudibusque adulterata, nitorem ſuum recuperet, habeantque diuinitatis Chriſti aſſertores, quod laetentur, hoſtes, quod timeant. Agnoſco autem, quod Hutterus noſter aſſerit, ex vnius vel alterius theologi (haec enim eius mens eſt) morte non debere iudicium fieri de doctrinae ipſius vel veritate, vel falſitate. Verum quia Soci- *Concord. concord. p. 301.*

 nianiſmi

nianiſmi autores fere omnes, raro atque inuſitato exemplo, obitu violento horrendoque abrepti ſunt, ac martyrum dotibus fuerunt deſtituti; imo quia ſanguis Socinianorum adeo non fuit ſemen eccleſiæ Socinianae, vt potius vno magiſtratus autoritate ſublato ceteri vel fuga ſibi conſulerent, vel varias formas ſpeciesque aſſumentes Trinitatis myſterium, vbi commodum erat, modo confiterentur, modo contra datam fidem, praeſtitaque aliquoties iuramenta, impugnarent; ideo, mea quidem ſententia, ſi non ipſa Socinianorum dogmata, minimum ſectae autores admodum redduntur ſuſpecti. Aſſentior enim Luthero dicenti: Es tragen die Gottfürchtigen an ſolchen ſchweren Fällen keine Beliebung; denn ſie lieber ſehen/ daß alle ihre Arbeit zur Erklärung und Ausbreitung der Lehre des Evangelii anwendeten/ denn daß ſie mit Verläſterung des Evangelii die ewige Pein ſich über den Hals laden: Aber weil ſie des Läſterns kein Mas noch Ende machen/ ſo ſind ſolche Exempel vonnöthen/ damit Gott bezeuge/ daß er Richter ſey/ und daß er der Gottloſen Fürnehmen zurück treibe/ damit andere Leute bekehret werden/ und ſich dem Evangelio ſo nicht wiederſetzten. Derhalben iſt diß der Kirchen ein frölich und nothwendig Gericht/ auf daß ſie aus den Gefährligkeiten errettet werden/ und die Gottloſen dahin fallen.

*Conf. Nicolai im Freuden Tritt. p. 682.*

IV. Admitti hanc doctrinam ab ipſis Socinianis neceſſe eſt, quum Fauſtus Socinus in Blandratae obitu diuinum iudicium ipſemet agnouerit. *Illud certisſimum eſt*, ait, *Blandratam ab eo tempore, quo liberalitatem, quam ambiebat, regis Stephani erga ſe eſt expertus, coepiſſe quosdam ex noſtris hominibus, quos carisſimus prius habebat*

*Ap. Hornbeck. in apparat. ad controu. Socin. p. 25.*

*bat, & ſuis opibus iuuabat, ſpernere ac deſerere, etiam contra promiſſa & obligationem ſuam, & tandem illos penitus deſeruiſſe, atque omni verae ac ſincerae pietatis ſtudio valedixiſſe, & ſolis pecuniis congerendis intentum fuiſſe, quae fortaſſe, iuſtisſimo Dei iudicio, quod grauisſimum exercere ſolet contra tales deſertores, ei necem ab eo, quem ſuum heredem fecerat, conciliarunt.*

V. Et meretur ſane tot conſpicuae autoritatis Socinianorum exitus plane horrendus conſiderationem tanto accuratiorem, quo promtiores ſunt Sociniani in ferendis iudiciis, fortuitisque in rem ſuam vertendis. Exemplo ſit tempeſtas, quae Cracouiae globum in vertice templi, quod S. Trinitatis dicitur, collocatum deiecit. In ea enim commemoranda, imo & mendaciis exornanda toti ſunt Sociniani, quaſi argumento fuerit, doctrinam de Trinitate ſuppreſſum iri. *Illud inſigne quaſi omen eſt notatum*, inquit, VViſſovvatius, *quod anno 1562 quum contra Trinitatis doctrinam conſtitutio fieret, Cracouiae ipſa die S. Trinitatis, meridie, Gregorio Pauli contra hanc ipſam de Trinitate opinionem concionante, templum Trinitatis fulmen percuſſerit, globumque in vertice eius poſitum deiecerit.* O impudentiam hominis ſingularem, qui ex recentioribus quum ſit, atque adeo euentu cognitum habeat, quod doctrina de Trinitate, exactis Vnitariis, Cracouiae laeta effloruerit, non veritus eſt fictitium hoc omen chartis ſuis illinere. Quaſi vero Trinitatem confeſſi non eodem, aut maiori probabilitate cogitare potuerint, Deum ipſo illo tempore, quo haereſiarcha templo Trinitatis abuſus in ſacroſanctam doctrinam debacchatus eſt, ſibi denunciatum voluiſſe imminens peri-

*In Narrat. comp. p. m. 213.*

culum, & Gregorium Pauli a diſſeminandæ haereſeos conatu deterrere. Conſtat enim ex Stoinii, hominis Sociniani epitome, Gregorium Pauli in ipſo illo templo metropolitano, ſeu aede S. Trinitatis, cuius tum paſtor erat, concionatum.

*Sandius bibl. p. 186.*

VI. Ceterum haec obiter ſaltem monui, cuilibet iudicium ſuum ſaluum relicturus. Neque enim in hanc curam intentus fui, vt ex tragico Socinianorum exceſſu eorumdem doctrinam operoſe accuſem; ſed vt breuiter oſtendam, quae ſit & in hoc negotio Arnoldi fides, quae ratio inſtituti. Sentio tamen, verum omnino eſſe, quod Beza ſcribit epiſtola LXXXI. *Etſi iſta non ſunt prorſus* ἀποδεικτικά: *tamen qui priora cum poſterioribus compararit, & propius omnia inſpexerit, inueniet profecto in iſtis tam manifeſta diuini furoris teſtimonia, vt vel ſola ſufficere merito poſſe videantur iſtis, quos adhuc expectat Dei patientia, ad mentem meliorem reuocandis.*

## CAPVT I.

## LVDOVICVS HETZER.

*HETZERVS, gente Bauarus, Germanorum & Anabaptiſtarum primus, qui diuinitatem Chriſti ſcripto impugnarunt §. 1. Eius liber aduerſus Chriſtum ſuppreſſus. Arnoldus notatus §. 2. Sententia Hetzeri de Chriſto §. 3. Eiusdem adulteria, ſupplicium, indoles. §. 4.*

I. Lu-

I. Ludouicus Hetzerus, vir doctus, ſed varius in omni genere vitae, vt induſtria eluxit, ſic vitiis obrutus eſt. Primus omnium Germanorum adornatis libellis Chriſti diuinitatem impugnauit, ceteroqui addictior Anabaptiſtis, quorum opinione anno CIↃ IↃ XXVII. Iacobum Kautzium imbuit VVormatiae. Extulerunt eum Anabaptiſtae, cum viueret, ſummis laudibus; at ſcelerum cauſſa vita priuatum, omiſſo cognomine, Ludouicum vocant in martyrologiis, ne ad Hetzeri nomen cohorreſcant homines non impudici. Scripſit libellum contra vſum imaginum in templis, ac iuxta cum Ioanne Denckio prophetas ex fontibus in linguam Germanicam tranſtulit, eccleſiaſticum quoque translaturus, cuius verſionem affectam reliquit.

*Ottius in annalibus Anabapt. p. 46, 50. Biblioth. Simleri p. 462.*

II. De eius morte primum exponimus, quod omnium Vnitariorum, quos Germania vidit, primus morte violenta ſit ſublatus. Eius libellum contra Deitatem Chriſti ſcriptum ſuppreſſit Zvvinglius, laudante id factum Hetzero, in limine mortis iam conſtituto, vt notat Sebaſtianus Franckius in chronico: Hat auch von Chriſto ein Büchlin geſchrieben. Wiewohl er vor ſeinem End bekant ſoll haben/wie Thomas Plaurer(der ſeinen Abſchied von dieſem Leben beſchrieben hat ) ſagt/ daß er wollt/diß ſein Büchlin von Chriſto unterlaſſen ſeyn / freue ſich auch/daß bißher in Druck nit ſey ausgangen. Igitur Gothofredus Arnoldus hoc in negotio peior eſt Hetzero, cum improbet Zvvinglii ſollicitudinem, ac ferat aegre, has in Chriſtum calumnias eſſe ſuppreſſas. Scilicet ad Pontificiae tyrannidis imitamenta hoc refert Parte II lib. XVI cap. XXI §. 29 hiſtoriae eccleſiaſticae: Caluini

*fol. 451.*

*Ottius p. 56. annal.*

Vor-

Vorfahrer Zvvinglius unterdrucket auch des Ludwig Hätzers Buch / als man ohne Bedenckeen geſchriben/ben/ und dem Römiſchen Proceß genau gefolget hat.

III. Licet autem libellus hodie non extet, facile tamen hominis de Chriſto mens cognoſci poteſt ex verbis Franckii: Er hat gehalten/daß Chriſtus nit gleicher GOtt, und eins einigen Weſens mit dem Vatter ſey/diß bezeigen ſein Reimen unter ſeinen Creutzgang gedruckt ausgangen / geſtellt: Ich bin allein der einig GOtt/ der on gehilff alle Ding geſchaffen hat. Fragſtu wieviel meiner ſey? Ich bins allein/ meinr ſind nit drey. Sag auch darbey ohn allen Won/daß ich glat nit weiß von keiner Perſon. Bin auch weder dis noch das. Wem ichs nit ſag/ der weiſt nit was. Itaque Sandius non iniuria de eo ſcribit lib. III ſeculo XVI eccleſiaſticae hiſtoriae: *Ludouicus Hetſerus manifeſtisſimus & certisſimus Arianus. Docuit enim ſolum patrem eſſe ſummum Deum, Chriſtum non eſſe aequalem Deo patri, ſed eo longe inferiorem, nec eiusdem cum eo eſſentiae. In vno Deo non eſſe tres perſonas: Deum enim nec eſſe perſonam, nec eſſentiam, nec quicquam eorum, quae nominantur.*

IV. In vitiis nihil excellentius fuit Hetzero. Duxit enim XIII vxores, teſte Ottio, fide dignisſimo viro, cuius integritatem ſi forte in dubium vocet Arnoldus, non defuturi ſunt fanatici, eamdem vitae petulantiam, eamdem ſupplicii, quo periit, cauſſam commemorantes. De Sebaſtiano Franckio, fanaticorum hiſtoricorum principe, ſic iudicat Arnoldus: Er hat ſich aller Sectirerey/ Parthey und Verurtheilung enthalten. Audiamus igitur Franckium, qui eodem, quo Hetzerus, tempore vixit, iisdem-

*Part. II. hiſt. p. 284.*

iisdemque opinionibus maximam partem infectus fuit. Sic inquit ſcriptor fanaticus in chronico anno CIↃ IↃXXXI apud Beckium impreſſo Argentorati: Er iſt nach langwieriger Gefänckniß zu Coſznitz zum Tod verurteilt / und auſſerhalb der Stadt mit dem Schwert gericht worden / nit wie Plaurer ſagt / des Tauffs oder Aufruhr halben / ſunder daß er ſich mit Weybern hab vertiefft / fürnemlich / daß er ſolichen ſein Ehbruch / bey etlichen ſundern Perſonen / mit Göttlichs Willens Behelff zu vertedigen / aus der Schrifft und Gotteswort hett fürgenommen / daß er groſze Buß und Reu empfangen hat / und ſich des Wegs unwürdig geacht / der ihn zu der Walſtadt hinaus zum Schwerd tragen ſoll / alle Aergernüß an ſeiner Misthat vor ſeinem End / mit feinen kräfftigen Worten / gegen allem Volck abgeſtrickt. *fol.* 416. Qui deinceps idem de Hetzero tradiderunt, ne prouocant quidem ad Franckii teſtimonium, ſed rem omnibus compertam, ac extra dubitationis aleam poſitam, commemorant. Ita anno CIↃ IↃLIII Eraſmus Albertus in praefatione libri, quem inſcripſit: wider die Lehre der Carlſtader / ſine circuitione inquit: Er erreget dawieder der Wiedertäuffer Rotte / welcher Oberſten waren Melchor Ring &c. Ludwig Hetzer / welcher dreitzehen Weiber hatte / denn dieſe Schälck überredeten die Weiber / Ehebruch wäre nicht Sünd / ſondern ein Werck der Barmhertzigkeit und brüderliche Liebe. Periit igitur Hetzerus Conſtantiae anno CIↃ IↃXXIX die IV Februarii ob adulteria. Quae omnia ſilentio premit Anabaptiſtarum praeco Arnoldus, Sandium Arianum ſecutus, vnumqve id dolens, non am-

plius extare adulteri librum, quo Chriſti diuinitas impugnaretur. De ſupplicii genere error eſt apud Seckendorffium lib. II ſectione XVII §. L in his verbis: *Ludouicus Hetzerus, vir doctus, ſed peſſimis opinionibus deditus, Conſtantiae exuſtus fuit.* Porro error, aut potius mendacium eſt Sandii ſcribentis: *Ob dogmata ſua interemtus eſt.* De cetero doctrinae eius capita refert Franckius ex praefatione Hetzeri in Baruchum, & epilogo theologiae Germanicae ſubiecto, e quibus pleraque nihil differunt a ſententiis modernorum Quackerorum & Arnoldi. Quippe fanatico furori accommodatior erat viri indoles, quam ipſe Franckius ob oculos ponit his verbis: Er iſt bey Leben nit allweg gleich geſinnet geweſen/ ſunder hin und her gefallen / ſunderlich mit ſeinem Leben/ offt auferſtanden / offt wieder gefallen. Er hielt nicht viel auf das äuſſerlich Predigt-Wort. Er iſt auch heftig wider die Schrifftgelehrten geweſen / ſo zu unſern Zeiten GOttes Gnad und Wort an den Buchſtaben der Schrifft binden. Jren Glauben hat er einen buchſtabiſchen Glauben genennt/ und wenig gehalten von ihrer Predig. Die unbibliſchen Bücher / die bisher die Kirch auſſerhalb des Canons frey hat geleſen / hat er in Canon geſetzt. Sein Schrifft geben auch genugſam zuverſton / daß er Chriſtum weit geringer denn GOtt geacht.

*hiſt. Luth.*

*loc. cit.*

## CAPVT II.

## MICHAEL SERVETVS.

MICHAEL *Seruetus combuſtus* §. 1. *Ab Arnoldo defenſus* §. 2.

I. Qui

I. Qui vulgo pro Socinianae religionis autore habetur, Michaël Seruetus, Terraconenſis Hiſpanus, profeſſione medicus, quo nocentior diuinitatis Chriſti hoſtis fuit, eo horridiorem vitae exitum conſecutus eſt. Cum enim Chriſto diu multumque maledixiſſet, orbemque horrendis libris infeciſſet, quos Hornbeckius in apparatu, & Sandius in bibliotheca percenſent; Geneuae agnitus, die XIII Auguſti CIↃ IↃ LIII deprehenſus ac mox combuſtus eſt XXVII Octobris. Cum ad rogum duceretur, ſubinde clamauit, ſi Socinianis fides: *O Deus ſerua animam meam: O Ieſu, fili Dei aeterni miſerere mei.* Exitum hominis Sandius luculenter deſcribit, quem audiemus. *Strues*, inquit, *lignorum erat ex faſciculis quernis viridibus, adhuc frondoſis, admiſtis lignis taleis. Capiti eius imponitur straminea corona, & ea ſulphure conſperſa. Corpus palo alligatum ferrea catena, collum autem fune craſſo quadruplici aut quintuplici laxo, liber etiam femori alligatur. Memoratus Petrus Hyperphrogenus, haec inter alia de exitu eius memoriae prodidit: Atque ita demum Seruetus eductus & abreptus eſt, atque lento igne vſtulatus totus concrematur. In quo igne, cum horas tantum non duas aut tres circumcurſitans, ac vehementiore vento ſuborto eoque flamma depulſa emori non poſſet, poſtremo deficientibus lignis eiulare & exclamare coepit; Heu me miſerum, qui vitam hoc rogo finiri nequeo! Anne ducenti coronati aurei mihi capto abrepti, & non exuſti lege reclamante, torquisque aureus de collo dependens, ſufficiebant, quibus affatim lignorum coemi, & huc congeri potuiſſet, mihi miſerando conſumendo? Aderat hic Guilhelmus Farellus Eccleſiae Geneuenſis Senior Miniſter, Caluini Vica-*

*rius, qui non ceſſabat Serueto in extremis acclamare: Crede in aeternum Dei Filium Ieſum Chriſtum: cui conſtanter Seruetus: Ego credo Chriſtum eſſe verum Dei filium, ſed non aeternum. Ac ſic tandem exuſtulatus exſpirans peremtus eſt, in manus Dei Patris commendato ſpiritu.* *

II. Ceterum haec & multa alia Arnoldus ita retulit, ac ſi Socinianorum libris & teſtimoniis omnino eſſet ſtandum. Contra vero horrenda Serueti dogmata pleraque omiſit, etiam de eiusdem erroribus dubie locutus. *P. II p. 2.* **Insgemein ſoll er des** Photini, Pauli Samoſateni **und dergleichen Lehren wieder erneuret haben /** inquit. Imo non hiſtoriam, ſed apologiam ſcripſit, ac tribuit Serueto verum

* *Non eſt nobis propoſitum, de vita & blaſphemiis Serueti exponere. Legantur ex Socinianis Lubieniecius hiſt. lib. II c. V: Sandius bibliothec. Anti-Trin. p. 16. Ex Reformatis Caluinus epp. p. m. 114, 117, 118 ſeqq. Beza in vita Caluini p. m. 51 & epp. 1 & 81. Cloppenburgius tom. 2 opp. p. 325. Hoornbeck in apparatu ad controu. Socin. p. 16 ſeqq. Hornius hiſt. eccl. period. III art. 1 §. 40. Theodorus Starck praeſ. ad Heresbachium de Anabaptiſt. Spanhem. elench. p. 137. Voëtius Polit. eccleſ. P. I. l. IV tract. I c. 4.* Ex his ſcriptoribus patet, *Caluinum nec ob ſolam haereſin Seruetum ſublatum voluiſſe, nec ab Arnoldo adducta eſſe, quae Caluini cauſam excuſare quodammodo, Serueti autem culpam viuis coloribus repraeſentare potuiſſent.* Falſum quoque eſt, quod ſcribit: Die Lutheraner billigten auch dieſe Sache dazumahl/und lobeten Caluinum deswegen. *Longe aliter Heshuſius anno 1562 libr. de coena lit. ZZ ſcripſit:* Caluini tyrannis omnibus eſt nota. Narrauit mihi clarus vir & fide dignisſimus, ſe vidiſſe Caluinum publico & de criminalibus rebus iudicio adſidentem, atque ſententia ſua condemnantem reum ſupplicio capitali.

verum atque ſolidum Chriſtianiſmi fundamentum. Legant autem, qui volunt, hominis inauditas antea blaſphemias vel in Hoornbeckii, qui eius libros habuit, apparatu, ac iudicent, num ei verum in Chriſtianiſmo fundamentum tribui poſſit. Sane enim iuuentutem inter Iudaeos & Turcas in Africa exegerat, hauſeratque doctrinam ſuam, vel Lubieniecio teſte, etiam ex Alcorano, quam mutaſſe nusquam legitur.

# CAPVT III.

## FRANCISCVS LISMANINVS.

L*ISMANINVS promotor Socinianiſmi in Polonia* §. 1. *Seipſum inputeum abiecit* §. 2.

I. Franciſcus Lismaninus, monachus Franciſcanus, vir magnae in Sigismundi Auguſti aula autoritatis, Laelium Socinum patria profugum anno CIƆ IƆ LI hoſpitio exceperat, patronos potentisſimos parauerat, eoque autore non modo cucullum depoſuerat, ſed & diuinitatis Chriſti hoſtibus iter in Polonia vbique aperuerat. Per hunc enim, non vero per Blandratam, vt perperam docet Arnoldus, Sociniana religio in Poloniam cumprimis inuecta eſt.

II. Ducta deinceps, Caluini ac Laelii Socini ſuaſu, vxore in Boruſſiam conceſſit, vbi infelici morte extinctus eſt. Ipſe Sandius: *Regiomonti, vbi apud Ducem Borusſiae degebat, in phreneſin lapſus, (cui a iuuentute obnoxius erat) in puteum decidit, atque ita ſubmerſus eſt* *bibl. p. 35.*

M 3 cir-

*circa annum, vt colligo 1563. Budzinius cap. 26 hunc caſum narrans dicit, cum ea de re ſcrutaretur, relatum ſibi eſſe, vxorem eius (quae iam antea adulterio ſuſpecta erat) huius interitus cauſam fuiſſe.* Lubieniecius lib. III c. II *Liſmanini conatus ſucceſſu caruit; ſed non ſuſpicione & infamia obitus, qui ei in phreneſin lapſo Regiomonte contingit.* Sed haec omnia reticenda erant Arnoldo.

# CAPVT IV.

## BERNARDINVS OCHINVS.

*OCHINVS monachus tranſit ad Reformatos §. 1. Fit Socinianus §. 2. Amiſſa Tuguri coniuge miſere perit cum liberorum triga.*

*Remundus de haereſ. l. 3 c. 5 Heidegg. hiſt. pap. p. m. 227.*

I. Ochinus Senenſis fuit, Capucinorum monachorum non autor, quod perperam tradit Arnoldus lib. XV cap. XXII §. XVII; ſed ſocius, quo vix quisquam illuſtrior atque etiam honoratior. Cum ob concionem ad populum habitam Romam euocaretur, ſuaſu Petri Martyris, in cuius intimam familiaritatem peruenerat, miſſo Pontificiae religioni nuntio, Geneuam conceſſit, tranſiitque in caſtra Reformatorum. Tandem Tigurum ſe contulit, ac miniſterio eccleſiaſtico admotus eſt. Ibi cum dialogos ſcripſiſſet, ac Baſileae in lucem proferri curaſſet, ſolum vertere iuſſus illico in Poloniam abiit ad Socinianos.

*Hoornbeck. app. p. 48 & ipſe Ruar. P. I ep. 46.*

II. Nec dubium eſt, quin cum diuinitatis Chriſti hoſtibus fecerit ſocietatem, licet Academicorum more de ſingulis dubitare videretur, vſus commoda ad hanc rem methodo per dialogos diſputandi. Vnde & F. Socinus,

cinus, Sandius & Lubieniecius in hiſtoria reformationis lib. II cap. V eum Anti-Trinitariis annumerant, quo eum pertinere & Hornbeckius liquido oſtendit. Inde vero colligere eſt, quam ſpiſſum ſit Arnoldi mendacium, cum ſcribit: Die Theologi geſtehen / daß er auſſer der Meynung von der polygamie orthodox geweſen. Hoc fateri ait Bezam libro de polygamia, repudio & diuortio, Gerhardum de coniugio §. 202 ſeqq. & reliquos. Verum Beza Ochinum in illa disputatione nusquam ab Anti trinitaria labe abſoluit, quem potius ſtatim ab initio impurum apoſtatam, ac epiſtola I Arianorum clandeſtinum fautorem, ſceleratum hypocritam, omniumque Chriſtianae religionis dogmatum irriſorem vocat. Gerhardus autem in commentatione de coniugio non ſolum non dicit alienum a Socinianorum erroribus; verum etiam hominem vocat Antichriſtiano ſpiritu agitatum & Turcarum fautorem. Porro falſum eſt, quod ſcribit Arnoldus: Es hat ſich ſeiner noch letzlich der gelehrte Morhofius diſsfalls auch angenommen und bekant / es ſtecke in ſeinen Schrifften nichts atheiſtiſches / und ſtatuire er nur die polygamie, ob ihn wohl einige zum Arianer machen wollen. Hoc enim tantum Morhofius: *Ochini dialogi praeter Polygamiam, quam propugnant, nihil ex atheismo trahere videntur. Arrianum alii potius, quam atheum habent.*

Sand. bibl. p. 2 Socin. ap. Cloppenb. t. 2 p. 328.

P. II p. 320.

§. 206. 207.

Polyh p. 75.

III. Expreſſurus praeterea imaginem vitae Ochini eius pleroſque errores praeterit, ac quaſi ſolum exilium memoria dignum eſſet, quod ad vitae finem declarandum pertineat, prorſus omittit. Notanda autem de coniugis morte verba Bezae epiſtola I. *Fregerat uxor* (Tiguri) *collum, horrendo Dei iudicio domi impium ſenem*

per-

*perſequente, priusquam foras productum eſſet ipſius ſcelus.* Ipſe anno CIↃ IↃ LXIV. Polonia eiectus in itinere peſte corripitur, qua duas filios & filiam natu maximam amittit. Nihilominus inſtitutum in Morouiam iter perſecutus eſt, ac diem ſupremum poſt tres hebdomadas obiit Slauoniae. Ita Lubieniecius & Sandius tradunt. Beza vero ep. LXXXI generatim hoc dicit: *Ocbinus apoſtata quam miſerabiliter obierit cum ſuis, tota Polonia nouit.*

# CAPVT V.

## GEORGIVS BLANDRATA.

G*entilis, Palaeologus, Gribaldus.* §. 1. *Blandratae mors.* §. 2.

I. De Ioanne Valentino Gentili, qui anno CIↃ IↃ LXVI Bernae ob Ariana dogmata & periurium capite plexus eſt, nihil monemus, ſiquidem carceres ac captiuitatem eius, nec non teſtimonium veritatis (ita putant nouatores) aduerſus trinitatis, vnitatis & eſſentiae voces ſatis accurate tradidit Arnoldus. Neque etiam Iacobum Palaeologum, nocentisſimum diuinitatis Chriſti hoſtem, adducemus, quem Romae anno CIↃ IↃLXXXV combuſtum recte aſſerit, quamquam eius de magiſtratu politico & inuocatione Chriſti ſententia omitti non debuiſſet. Imo & Matthaeum Gribaldum, Iuriſconſultum Patauinum, omittimus, qui peſte correptus paratum ſibi a Reformatis ſuppli-
*opp. p.* 338. cium praeuenit, atque, vt Beza narrat, fugientibus illum omnibus vix a quo ſepeliretur inuenit. Nec vacat inquirere

rere, de quonam ſcribat Beza: *Magnus ille vir apud Polonos, Chriſti primum, deinde antichriſtianorum hoſpes, quod tandem mortis ſpectaculum praebuit?* At de Blandrata, cuius mortem plane reticuit Arnoldus, pauca commemorabimus. *Ibid.*

II. Erat Blandrata Saluçienſis Italus. Tuſcino elapſus venit Geneuam, vnde poſt multas cum Caluino disputationes ſe in fugam proripuit. Venit etiam Tigurum, inde in Poloniam, abi, perinde vt in Transſyluania, medicum egit. Fuit eius magna apud Polonos autoritas, ac habetur quaedam iunioris Socini epiſtola, qua Stephani Bathorei, Poloniae regis, archiater & conſiliarius intimus vocatur. Suffocatus eſt, cum in lectulo decumberet, a fratris filio, quem heredem fecerat. Id iuſto Dei iudicio factum cenſet ipſe Socinus, cuius verba in protheoria adduximus. *Caluin epp. p. 259.*

# CAPVT VI.

## FRANCISCVS DAVIDIS.

DAVIDIS triſtiorem fortunam Fauſto Socino fere omnes imputarunt. Erat ille primum Vnitariorum in Transſyluania ſuperintendens, vbi, vel Sandio teſte, acriter contra Trinitatem disputauit. Verum cum doctrinam de Chriſto non inuocando ſpargeret, a Socinianis in carcerem coniectus viuendi finem fecit anno CIↃ IↃ LXXIX XV Nouembris. Atque huc reſpicit Regenuolſcius lib. I cap. XIII quando ait: *Notandum, quod procurantibus Georgio Blandrata & Fauſto Socino, in Tranſiluania exulibus, Franciſcus Dauidis morti traditus fuerit.* Colligitur autem ex verbis Bezae, Deum iam ante annum CIↃ IↃ LXVII hominem voluiſſe reuocatum. Dicit enim in epiſtola hoc anno exarata: *Franciſcus Dauidis, qui non ita pridem* *ep. 81.*

*in Tranſiluania Chriſto poſtridie maledicturus erat, quid ab extremo corporis & animae exitio, ruente repente domo praeter longam illam Dei μακροθυμίαν eripuit?* Remundus lib. IV cap. XII refert, Dauidem de daemonibus, quos in phreneſin lapſus ſibi videre viſus eſt, ſemper in carcere conqueſtum: quod nos in medio relinquimus. Solet enim Remundus mentiri.

## CAPVT VII.
## IOANNES PAVLVS ALCIATVS.

*ALCIATI patria, doctrina, indoles §. 1. Defectio ad Turcas § 2. A Ruaro, ſcriptore Sociniano, in dubium vocata §. 3.*

I. Alciatus, e Pedemontio nobilis Italus, medicinae militiaeque operam dedit, comes eorum, qui praeſide Laelio Socino in Venetorum ditione colloquia de religione, cumprimis vero de myſterio Trinitatis, inſtituebant circa annum CIↃ IↃXLVI. Detecta hac turba & colluuione Iulius Treuiſanus & Franciſcus de Ruego Venetiis ſuffocati ſunt; reliqui ſe fugae mandarunt. In his Alciatus Geneuam contendit, vbi arctiſſima Georgii Blandratae conſuetudine vſus magna animi impotentia debacchatur in doctrinam Chriſtianorum de Trinitate. Extat in epiſtolis Caluini teſtimonium de vita Blandratae apud Geneuenſes acta, quo haec habentur de Alciato: *Dixit Alciatus, tres diabolos a nobis adorari peiores omnibus idolis papatus: quia ſtatueremus tres perſonas.* Indolem Alciati deſcripſit Beza epiſtola LXXXII qua plane phreneticus & vertiginoſus dicitur. Contra Andreas Dudicius vocat virum magno ingenio, iudicio, doctrina & pietate praeditum. Hoc amici, illud hoſtis iudicium eſt.

*p. 259.* *Sand. bibl. p. 62.*

II. In

II. In Poloniam venit anno circiter CIƆ IƆ LVIII cum Blandrata, a quo pro anima habitus eſt, vt alicubi Caluinus loquitur. Anno CIƆ IƆ LXII fuit in eorum numero, qui a Reformatis Polonis ſeceſſionem fecerunt Petricouiae, vt Adrianus Regenuolſcius autor eſt de eccleſiiis Slauonicis lib. I cap. XIII. Ab eo tempore omnem fere Chriſtianae religionis ſenſum amiſit, palam deditus religioni Turcarum. Id faſſus eſt Valentinus Gentilis, de quo Beza: *Quum de Paulo Alciato rogaretur, factus eſt, inquit, Mahumetanus, nec mihi cum illo iampridem vllum commercium fuit.* Vt huic teſtimonio fidem habeant, quattuor inprimis ſunt, quibus moueri poſſe intelligentes arbitror. Primo Alciatus de Gentile non erat male meritus, quem, teſte Sandio in vtriusque vita, e carcere redemerat. Non eſt igitur veroſimile, hunc illum, cui vitam debebat, voluiſſe calumniis proſcindere. Praeterea ipſe Gentilis, doctiſſimus ſenex, procul dubio manu quaſi ad hos ſcopulos perduxit Alciatum. Conſueuerat enim doctrinam ſuam ex Alcorano deriuare, vt Sandius teſtatur. *Adiecit*, inquit, *noua collectanea ex ſcriptura, Patribus & Alcorano, pro ſua ſtabilienda ſententia.* Tertio fatetur ipſe Lubieniecius lib. II cap V hiſt. reformationis Polonicae, Alciatum dogmati de Trinitate acerrime reſtitiſſe, *ita vt ei Mahometiſmum praetuliſſe ſcribatur*, conſilii in primordio reformationis ignarus. Denique Sandius admittit Gentilis teſtimonium de Blandrata eodem tempore, eodemque in carcere, quo illud de Alciato praebuit, perhibitum. Nihil vero cauſſae eſt, cur vno admiſſo alterum reiiciat. Accedit autem & Lubieniecii fides, Alciatum fortunae ſedem apud Conſtantinopolitanos conſtituiſſe, Turcasque prae Chriſtianis aequos & humanos expertum eſſe, diſerte tradentis lib. III c. IV hiſto-

*opp. p. 259.*

*opp. 16.88.*

*Sand. bibl. p. 27.*

*Hiſt. eccleſ. p. 428.*

Hiſt. eccleſ. p. 203. tiae. Itaque non immerito Hornius ſcripſiſſe videtur: *Alciatus tranſiit ad Turcas ac Muhammediſmum amplexus inter eos vitam finiit.* Idem vno ore tradunt hiſtorici.

II. Fuit tamen, qui eius defectionem vocaret in dubium, Martinus Ruarus, centuria I epiſtloa XLVII ad Calouium. *Noris*, inquit, *Alciatum in hac vrbe* (Gedani) *vitam per aliquot annos Chriſtiano ritu ſingulari cum pietate exegisſe, & moriturum animam Chriſto Seruatori commendasſe. Id Catharina VVeimeria, vxoris meae auia, quae tanquam vicinum in platea, quam caninam vocant, habitantem, familiariter norat, & morti eius interfuit, marito ſuo, Dauidi VVernero Buttelo, qui adhuc in viuis eſt, ſaepius narrauit.* Anili hac narratiuncula adductus Sandius ibidem affirmat, cum Gedani diem ſupremum obiiſſe. Verum bibl. p. 27. quia poſt mortem Gentilis nihil legitur, quod in tanta reliquorum Socinianorum ſollicitudine ac ſtudio in orbe Chriſtiano egerit Alciatus; imo quia Ruarus Socinianus eſt, ac Lubieniecium, hominem & Socinianum, & in hiſtoria Vnitariorum valde verſatum, a ſe diſſentientem habet; non video, cur anus Socinianae narratiuncula omnium doctorum conſenſioni ſit praeferenda, cumprimis quia Alciatus, ab intentata Turciſmi labe nusquam ſe purgaſſe ſcribitur. De cetero etiam ex Alciati vita exituque diſpaleſcit Arnoldi, nouarum opinionum cupidi hominis, ſummum in Socinianos ſtudium, ſumma voluntas. Nam de eius ad Turcas defectione, plane vt Sandius, magis mutus eſt quam piſcis.

# CAPVT VIII.

## ADAMVS NEVSERVS.

TVRCICAE *religionis & Socinianiſmi conſenſio* § 1. *Refor-*

*formati a Socinianis laudati* §. 2. *Neuſeri certamen de diſciplina eccleſiaſtica, quod occaſio defectionis* §. 3. *commercium litterarium cum Socinianis & Turcis* §. 4. *Defectio ad Turcas* §. 5. *horrenda mors* §. 6. *Sandius & Arnoldus notati* §. 7.

I. Turcicae religionis & Socinianiſmi permagna eſt conſenſio. Hinc qui trinitatis myſterium reformationis tempore impugnabant, exacti Italia magnam partem ad Turcas ſe contulere, quod multa eorumdem placita doctrinae ſuae ducerent conuenientisſima. Italus ille abbas, cui nomen Bucali, quum virus ſuum in Italia ſpargere haud amplius poſſet, cum omni fere Antitrinitaria ſocietate, ad Turcas ſe recepit, vitamque finiuit Damaſci. Teſtatur id ipſemet Lubieniecius lib. 11 cap. 1 hiſtoriae reformationis Polonicae. *Erat*, inquit, *ex hac pia ſocietate abbas quidam, Bucali dictus, qui arcanis ſuis collegiis & ſtudiis euulgatis, in praeſentisſimo cum verſarentur diſcrimine ſalutis, vna cum aliis 40 viris fuga ſe eripuit, & quam Chriſtianus inter Chriſtianos habere non poterat, apud Turcas quaeſiuit & inuenit ſalutem.* Ita Seruetus, cum primum doctrinae ſuae ſyſtema conderet, Alcoranum quoque vocauit in ſubſidium, teſte Lubieniecio lib. 11 cap. v, *Is*, ſcribit, *apis inſtar cuncta ſibi profutura vbique colligens, ex ipſis Alcorani, in dogmata quidem de Deo Trinuno & Ieſu Chriſto ſummo Deo ex eſſentia patris ab aeterno generato, tum idololatriam & Mariolatriam grauiter inuehentis, tribulis mellis materiam exſugebat.* Idem Gentilem feciſſe, aurumque in ſtercore quaeſiuiſſe, ſupra audiuimus. Neuſerus autem, de quo nobis hic eſt ſermo ſuſceptus, Stephanum Gerlachium certiorem fecit Conſtantinopoli, ſe, cum adhuc inter Socinianos viueret, iam cognouiſſe, Alcoranum a veritate non eſſe alienum. Praeterea

 exhi-

*Wolffii lect. memorabil. cent. XVI. p. 902.* exhibuerat Gerlachio litteras, e Polonia a Primario quodam Sociniano miſſas, quibus & haec continerentur: *Quaeſo, mi Adame, diligenter interroga, an Alcoranus iſte, quem Bibliander Tiguri edidit, ſit authenticus, & veritati Arabicae conueniat? Nam iſto libro nos valde delectamur, & diuinum eſſe aſſerimus.*

II. Prolixius iſta demonſtrare non eſt huius inſtituti. Nec etiam disquirimus, num Adamus Neuſerus recte ſcripſe- *Wolff. l. c.* rit ad Gerlachium, theologum Tubingenſem, cum quo Conſtantinopoli eſt conuerſatus: *Qui timet ſibi, ne incidat in Arianiſmum, caueat Caluiniſmum.* Neque tamen, opinor, a doctrina Reformatorum, vt libris ſymbolicis exhibita *unvermeidl. Rettung p. 139.* eſt, facilem lapſum eſſe ad arianiſmum. Vnius enim & alterius doctoris locutiones incongruae, quales Hoëneggius noſter collegit, eccleſiae Reformatorum fraudi eſſe non poſſunt. Scio, Bellarminum praefatione in librum 1 de Chriſto Socinianis ipſum Caluinum accenſere. Verum iſtius hominis impudentia nemo commoueri debet, ſiquidem Lutherum eodem loco Socinianis adſcripſit, quam ineptiſſimam calumniam Chriſtophorus Sandius eccleſiaſticae hiſtoriae lib. III Sec. XVI inſeruit. At inuitis, doctrinamque Socinianorum magno ſtudio confutantibus, Arianiſmi labes affricari non debebat. Velim autem Reformatos quosdam in hoc negotio paullo cautius verſari, nec gaudere de elogiis, quibus mactabantur a Socinianis, quaſi rectius de Chriſto *apparat. p. 81.* ſentiant, quam noſtri. *Nos Lutheranis anteferunt,* ait Hornbeckius, *& non paucis in rebus magis ſobrie de Chriſti religi-* *p. 211.* *one ſentire, quam Lutheranos aiunt.* Quorſum opus erat, Lutheranos cum ab aliis Reformatis, tum ab Altingio in nu- *p. 211.* per demum edita eccleſiae Palatinae hiſtoria aſperioribus verbis perſtringi eo, quod doctrinam Reformatorum de

Chriſto iuſto conuenientiorem dixerunt placitis Socinianorum, ſi Hornbeckius adeo lubenter fert, ſe Lutheranis anteferri a Socinianis, ſuamque de Chriſto doctrinam Arianis non parum arridere prae noſtra?

III. Sed ad Neuſerum veniamus, qui ſua ad Turcas defectione eum vitae exitum meruit, quem nunc, praemiſſa facinoris occaſione, deſcribemus. Erat is doctrinae noſtrae primum addictus, a qua ſeceſſionem faciens Heidelbergam delatus, ac templi Petrini paſtor conſtitutus eſt. Nihil, aut parum in eo laudant Theologi Palatini; verum Michaël Hebererus, Politicus in aula Palatina, magnis eum laudibus effert in libro, cui titulum fecit: AEgyptiaca ſeruitus. Gemeldter Adam Neuſer/ inquit, iſt ein gelehrter / vornehmer und anſehnlicher Prediger zu Heydelberg / auch menniglich lieb und angenehm geweſen, den ich ſelber vor 19 oder 20 und mehr Jahren offtmahls ſtattlich predigen hören. p. 350. Ceterum fuit tum Heidelbergae Caſparus Oleuianus, theologus & concionator, Friderico III electori ſuaſor autorque, vt in conſtituenda eccleſiae diſciplina formam Geneuenſium, quos Oleuianus praeceptores habuerat, ad imitandum ſibi proponeret. Improbabant vero hoc inſtitutum cum alii, tum Neuſerus & Thomas Eraſtus, vir doctiſſimus, qui abſoluto itinere Italico Hennebergenſium principum, mox electoris Palatini factus eſt medicus. Nec tamen palam de hac re diſputatum Heidelbergae, donec Georgius VVitherus, die x Iunii anno CIↃIↃLX praeſide Petro Boquino theſes ad diſputandum exhiberet, in iisque diſciplinae eccleſiaſticae rigorem commendaret. Finita diſputatione Neuſerus & Eraſtus de temporis penuria conqueſti ſunt, qua ſua aduerſus illum diſciplinae rigorem argumenta in medium afferre prohiberentur. Igitur perendie

die diſputatio de diſciplina repetita, animi commoti, ſcripta mox aduerſus eam adornata, tamqam verbo Dei repugnaret. Dauid Pareus, harum rerum teſtis oculatus, in oratione de ſtatu quinquagenario eccleſiae Palatinae, ſic iudicat de ſtudiis vtriusque partis: *Res magna animorum contentione & acerbitate vtriusque partis diu gerebatur: cum Oleuianus quidem gratia Principis alios premere: Neuſerus vero aura populari propter Sueuicam quandam ſuauiloquentiam (erat enim Sueuus plebi valde acceptus) plurimum pollere videretur.* Enimuero euentus, quem controuerſia conſecuta eſt, facile oſtendit, quo loco habuerit Oleuianum princeps. Quippe Neuſerum officio motum precibus ſaltem matutinis in aedibus Spiritus S. habendis praefecit: quod is adeo inique tulit, vt mox innouandi pruritu Chriſti diuinitatem in dubium vocaret, pertractis in partes Ioanne Syluano, Iacobo Sutero, paſtore Weidenheimenſe, & Matthia Vehe, diacono Lutrenſe. Fuerunt, qui Eraſtum eadem haereſi infectum arbitrarentur; verum Gisbertus Voëtius Part. III politicae eccleſiaſticae lib. IV tract. IV cap. I ei iniuriam factam demonſtrat.

*pag.*

*Adde Hornium hiſt. eccl. p. 337.*

IV. Neuſerus vero ſenſus Chriſtianae religionis iam expers, inſtituto cum Blandrata aliisque in Transſiluania Socinianis litterarum commercio, integro biennio infantes non baptizauit in nomine Trinitatis, ceu ipſemet Stephano Gerlachio retulit. Datae porro ad Selimum II Neuſeri litterae, de quibus non ſatis exploratum habeo, num conſilia ſubuertendi imperii Romani ſuggeſſerint, quae procul dubio riſu a Turcis fuiſſent excepta. Adſcribam tamen Altingii verba, ac lectori iudicium relinquam. *Dum,* inquit, *Maximilianus II anno 1570. Spirae verſatur, appulit ibidem Woiwodae Tranſyluani Legatus, vt cum Imperatore & Ordinibus*

*Hiſt. eccleſ. Palat. pag. 207. ſeq.*

*perii*

*imperii ageret de ineundo foedere, mutuae ſecuritatis & defenſionis ergo. Hunc ſalutatum Spiram excurrunt Neuſerus, Syluanus & Vehe, eique literas ſuas in Tranſyluaniam perferendas commendant: quas Syluanus ad Georgium Blandratam, Woiwedae Medicum; Neuſerus ad ipſum Imperatorem Turcicum exarauerant; in iis faſſi, plures eſſe in Germania Arrianae factioni addictos, quibus nihil magis in votis eſſet, quam Turcarum monarchae viam ſternere in imperio, & cum ipſo coniungi. Quum igitur Maximilianus imperator ſe excuſaret Oratori Tranſyluano de foedere, negaretque, cum iis paciſci ſe poſſe, qui Deitatem Chriſti, & Diuinarum Perſonarum Trinitatem non agnoſcerent; atqui, reſpondit ille, non eſt, quod tantopere abhorreas ab illa fide, quam vna nobiſcum tenent ac tuentur magni in Imperio principes, eorumque theologi. Et cum dicto, vt aſſertioni ſuae fidem faceret, depromſit literas Neuſeri ac Syluani, & Caeſari in manus tradidit. Is porro, reſignatas & lectas, Friderico III Palatino Electori communicauit; eumque commotum rei inſolitae indignitate, ne nimium turbaretur, monuit; cum & ipſe in ſuis ditionibus, quanquam ignarus, foueret id genus hominum; in quos tamen detectos ſecundum leges animaduerti, magiſtratus eſſet. Elector vt & hic pietatem ſuam Chriſtiano orbi probaret, nihil cunctandum ratus, protinus in mandatis dedit praefectis, nominatim vero Hartmanno Hartmanni Heidelbergenſi, vt quatuor illos miniſtros comprehenſos in carcerem duceret, libros, chartas, & manuſcripta eorum conuaſata & conſignata Heidelbergam deportaret. Factum id die 15 Iulii 1570.*

V. De fuga Neuſeri, eiusdemque ad Turcas tranſitu haec habet Altingius: *Dum ita res trahitur, Neuſerus fuga elabitur, ſed Amberga retractus die 8 Sept. eiusdem anni, & carceri mancipatus poſt ſex ſeptimanas cuſtodum ſeu negligentia,* l. c. p. 209.

*ſeu perfidia, ex turre arcis poſtica fune ſe demiſit, & ſecunda vice elapſus per Bohemiam & Sileſiam in Poloniam, ac tandem in Tranſyluaniam profugit. Quum iſthic quoque, ceu perduellis, ac Diuinae pariter humanaeque maieſtatis reus, ab imperatore & electore Palatino ad ſupplicium quaereretur, neque in orbe Chriſtiano locum manendi tutum reperiret; deſperata reconciliatione & ſalute abiit Conſtantinopolin, vbi abiecto palam Chriſtianiſmo ad Turcas defecit, Turcicoque more circumciſus eſt.* Paullo aliter haec commemorauit Neuſerus in colloquio, cum Stephano Gerlachio, Vngnadii, Imperatoris Romani ad Turcas legati, concionatore habito, cuius verba, ne quid praetermittere videamur, adſcribemus.

Ap. Wolf. l. c. Sic inquit: *Hoc cum in comitiis Spirenſibus de me & Syluano imperatori Maximiliano, & per eum meo Principi innotuiſſet; fuga mihi conſului; ſed ſponte in Palatinatum reuerſus, ad electorem pertractus ſum, cui in faciem reſpondi: niſi Caluinianus factus eſſem, eo non deueniſſem. E cuſtodia autem, cui traditus eram, prouidentia Dei liberatus in Poloniam veni, vbi multos fratres offendi, qui idem de Chriſto & Trinitate, quod ego, ſentiebant. Sed quia per inſidias mei principis ibi tuto conſidere non poteram, in Tranſyluaniam ad Franciſcum Dauidis abii, tutiorem receptum propter Turciam vicinam ſperans. Haec cum agitarentur, & ego quaedam de vno vero Deo contra Trinitatem publicare conſtituerem, eiusque gratia in vicum quendam nobilem, Turciae patrocinio gaudentem, ad Typographum ibi commorantem profectus eſſem, Baſſae Themeswarenſi proditus fui, qui me Conſtantinopolim miſit nihil reluctantem, ſed potius de eo gratulantem mihi ipſi.*

VI. Quot annos inter Turcas peregerit Neuſerus, non ſatis conſtat. Id vero dubio caret, nulli muneri, quod quidem ignobile haud eſſet, apoſtatam fuiſſe adhibitum inter

Tur-

Turcas, quâ re tamen hoſtilis in Chriſtum animus frangi non potuit, nec impediri Epicuri de grege porcus, quo minus Chriſtianam religionem etiam omnium rerum inopia laborans inſectaretur. Memini, virum quemdam illuſtrem mihi retuliſſe, viſas a ſe litteras Neuſeri manu ſcriptas, atque e Turcia in Palatinatum transmiſſas, quibus & haec haberentur: *Non potui concoquere horrendum illud dogma de Trinitate.* Sed non tulit impune tot blaſphemias, ſiquidem ſine vllo diuinae gratiae ſenſu deceſſit, ceu teſtatus eſt, qui morienti adſtitit, apoſtata quidam alius, de quo ſic loquitur Hebererus in AEgyptiaca ſeruitute, ſeu itinerario ſuo: Unter andern Leuten/ die zu denen teutſchen Junckern aus dem Lande zu Francken kamen/ gieng auch (zu Conſtantinopel) ein Chiaux ſehr bey ihnen aus und ein/ der ein Siebenbürger und verläugneter Chriſt war. Als dieſer hörete/ daß ich unter andern Geſpräch auch von Heidelberg redete/ fragte er mich/ ob ich der enden bekant/ und ob ich nicht einen gekant hätte/ der Adam Neuſer geheiſſen. Ich gab ihm zur Antwort/ daß ich ihn wohl gekant hätte/ aber weis nicht/ durch was Unfall zu einem Arianer und Türcken worden/ ich wüſte aber nicht/ wo er itzund wäre. Darauf lies der gute man einen ſchweren ſeuffzer/ und ſagte zu uns in gemein: Ich hätte recht geſagt/ gemeldter Adam Neuſer wär ein vornehmer gelerter Prediger zu Heydelberg geweſen/ aber nachmals abgefallen/ zu einem Arrianer worden/ und als er wegen ſeines Abfalls gefenglich eingezogen/ aber doch ausgeriſſen/ und ſeine Flucht aus Teutſchlandt in die Türckey genommen/ hat er Siebenbürgen durchreiſet/ und ihn ſambt noch einem ſeiner Geſellen zu Gefehrten ufgewickelt/ und zu gleichem Abfall der Religion gereitzet/ welches ihm ietzund hertzlich leid/ aber er köndte nunmehr aus ſolchen Jammer nit kommen noch entrinnen/ wollte doch zu GOtt hoffen/ er würde ihm gnedig ſeyn. Nachmals fragte ich ihn/ wo aber Adam Neuſer wär hinkommen? Da erzehlet er uns/ nachdem ſie alle drey zu Conſtantinopel wären ankommen/ hätten ſie ſich zu dem Türckiſchen Glauben bekant/ und dem Türckiſchen

L. III. p. 348 ſeq.

ckiſchen Keyſer zu dienen angebotten. Darauf ſie wären beſchnitten / und zu Chiaux / das iſt / zu Reiſigen dienſten befördert worden. Weil aber Adam Neuſer hatte vermeint / er würde zu höhern Ehren erhaben werden / dann geſchehen / iſt er in ein Epicuriſch und viehiſch Leben gerathen / endlich mit der Peſtilentz angegriffen / und an der Kranckheit mit ſolcher Verzweiffelung geſtorben / und ſeyen auf ſein ſelber und ſeines Geſellens fleiſſiges Errinnern / worauff ſie zu leben oder zu ſterben hetten / diß ſeine letzte Wort geweſen / nach dieſem Leben ſey nichts mehr. Haec Hebererus. Hornbeckius quaedam addit notatu dignisſima: *Miſere obiit, inter horrendos clamores ac mugitus; adeo, vt Turcae ipſi dicerent, nullius ſe hominis vidiſſe vnquam magis tragicum & abominabilem exitum, quemque proinde filium Satanae, ſua lingua Satam ogli appellabant.*

*In apparat. p. 49 conf. Altingius l. 3 p. 209 ſeq.*

VII. Conferant haec, qui in laudanda Gothofredi Arnoldi hiſtoria hactenus deſudarunt, cum vitilitigatoris de Neuſero narratiuncula, iudicentque, num hiſtorici munus impleturus, corraſis præcipue omnibus, etiam minutis orthodoxorum hallucinationibus, hoc diuini iudicii nobilisſimum ſpecimen ſilentio praetermittere debuerit? Pudet Sandium dicere, Neuſerum ad Turcas defeciſſe, quocirca lectori fucum facturus vix ſcribit: *Cum & illic a perſecutione Caeſarisque ira minime tutus eſſet, neceſſe habuit, Conſtantinopolim concedere.* At aeque pudet Arnoldum, cauſſam haereticorum de induſtria agentem. Praetermisſis igitur magni momenti rebus, quae ad percipiendam rectius Neuſeri vitam faciunt, vix, ac ne vix quidem defectionis ad Turcas meminit, dubie locutus, quaſi ea de re quisquam dubitarit. Neuſerus ſoll aus einem Calviniſten ein Arrianer/und endlich ein Türcke worden ſeyn/inquit part. 11 lib. 16 cap. 31 §. 24.

CA-

# CAPVT IX.

## IOANNES SYLVANVS.

*SYLVANI vita. Lubieniecius notatur* §. 1. *Mors. Non fuit perduellis* §. 2. *Arnoldus & Sandius notati* §. 3.

I. Ioannem Syluanum, quem Dauid Pareus, & qui eius de ſtatu eccleſiae Palatinae orationem impudenter exſcripſit, Daniel Pareus, concionatorem cumprimis ambitioſum vocant, Sociniani plerisque aliis anteponunt, neque a ſententia, martyrem eum fuiſſe, dimoueri ſe vlla ratione patiuntur. Sed multiplex error, quem in tradenda eius vita committunt, liquido oſtendit, quam rerum in Palatinatu geſtarum ignari ſint, ac parum idonei ad ferenda de Neuſeri factione iudicia. Lubieniecii verba non poſſum omittere hoc loco, in quibus fere nihil probabunt aequis animis hanc rem diiudicaturi. *Viuicomburium*, inquit, *Iohannis Syluani, Superintendentis Heidelbergenſis, paulopoſt, ſcil. circa 1571 crudeliter exercitum, licet ille vir vitae integer, eruditionis multae clarus, & meritis in Fridericum Palatiuum, quem paterno fauore in aetate tenera fouit, & in literis humanioribus conſtitutus eius praeceptor excoluit, inſignis, ita, vt is ingrati animi crimen horrens periculo eum eximere, & e vinculis dimittere voluit, niſi Geneuenſis Spiritus illud vetus aduerſus aequitatem & beneuolentiam iudicis depromſiſſet; Si illum dimiſeris, non eris amicus Caeſaris, Maximiliani II apud Electorem miniſtros eius, Adamum (quem Deus e carcere Heidelb. mire liberarat) & iſtum Syluanum, Arianiſmi indicio literarum interceptarum accuſante.* In hac nar-

*Dau. Pareus l. c. Daniel hiſt. Palat. p. 298.*

*lib. II cap. 8*

narratione primo falſum eſt, Syluanum viuicomburio ſublatum, quem maledicentisſimus ſcriptor, Florimundus Raymundus, de origine & progreſſu haereſ. lib. IV cap. VIII §.3 pari errore ad Turcas transiiſſe refert. Nam capite

*Altingius p. 209.* plexus eſt Heidelbergae die XXIII Decembr. CIↃ IↃ LXXII praetore & ſenatu vrbis aſſidentibus. Teſtatur id Dauid Pareus, vir doctisſimus, his verbis: *Syluanus poſt multam actionem & biennii carcerem perduellionis damnatus, in medio foro capitis ſupplicium, me inſpectante, adiit, propridie natalis Domini anno 1572 quando ego in illuſtri paedagogio ſecundae clasſis decurionem agebam.* Aeque falſum eſt, quod addit, Syluanum fuiſſe Superintendentem Heidelbergenſem, vel, vt Sandius in bibliotheca loquitur, ſuperintendentem eccleſiarum in Palatinatu. Ladeburgenſis ſuperintendens fuit, praetereaque nihil. Illud porro haud dubie argumento eſt, Lubieniecio Syluani mortem non ſatis perſpectam fuiſſe, quod annum eius emortualem determinare haud auſus eſt. Denique & hoc falſum videtur, Fridericum III in id laboraſſe, vt Syluanum a ſupplicio liberaret. Vt enim taceam, Fridericum a nutu miniſtrorum pendere haud ſolitum; ſane Altingius, cui haec multo notiora fuerunt, ita ſcribit: *Conſiliarii Electorales valde dubii haeſerunt de genere ſupplicii, quod plerique nolebant eſſe capitale. Elector autem, cunctantibus & haerentibus Conſiliariis, ne iretur in infinitum, conſilium ex ſe petiit, & ſua manu ſententiam conſcripſit, (cui hoc epiphonema ſubiunxerat, putare ſe, quod & ipſe Spiritum Sanctum habeat hac in parte magiſtrum & doctorem veritatis) eamque die II Aprilis 1572 octo menſibus, antequam executioni mandaretur, conſiliariis ſuis communicauit. Ea Ia-*

*l. c. pag. 10.*

*Spanhem. elench. controu. p. m. 141.*

*cobum*

*cobum Suterum & Matthiam Vehe a Neuſero ſeductos, eiurata prius haereſi, non ſolum loco mouit, ſed etiam in exilium eiecit: Syluano autem capitis ſupplicium ſtatuit.* Igitur quae de Geneuenſi ſpiritu ſubiicit Lubieniecius, huc non pertinebunt, quamquam Geneuenſes & in Syluani cauſſa conſultos, & in irrogandis errantibus poenis plerumque ſat liberales fuiſſe conſtat, quo ſpectant illa Grotii, epiſtola CCCCXXCVII ad fratrem: *Aiunt Geneuenſes omnia morte punienda, quae lex Moſis morte punit. Ea autem morte punit omnes idololatras. Geneuenſes iidem Pontificios omnes pro talibus habent. Hinc vide, quid ſequatur, ſi vires adſint.* Epp. pag. m. 894.

II. Sed quaecunque tandem ſit Genuenſium de haereticorum poenis doctrina & praxis; hoc in negotio fidem omnino merentur, qui Syluanum periiſſe ſcribunt iubente ac dirigente rem omnem Friderico, intentatam ſibi Arianiſmi labem Syluani ſanguine ſuppreſſuro. Erat autem Syluanus, ſi Altingio fides, non modo Socinianus, ſed & proterue blaſphemus, ſcripſeratque manu ſua librum horrendo titulo: Wieder den dreypersönlichen Abgott, und zwey-Naturen Götzen. An vero & perduellionis conuictus ſit, quod volunt Pareus, Altingius, Hornbeckius, Spanhemius & Reformati communiter, valde dubium eſt. Mihi ob ſolam doctrinam & in Chriſtum dicteria interemtus videtur. Habeo autem huius meae ſententiae longae firmiſſimum argumentum, quod nulla arte eluſum iri exiſtimo. Nimirum maior, forte & melior conſiliariorum pars noluit eum capitali ſupplicio affectum, quare ipſemet elector ſententiam ferre coactus eſt, vt ſupra ex Altingio percepimus. At ſi Syluanus criminis laeſae maieſtatis conuictus fuiſſet, conſiliarii mortis ſententiam ſine omni circuitione in eum tuliſſent. Deinde adeo non eſt probatum, Syluano cum Tur-

cis

eis litterarum commercium fuiſſe, vt id ne dicere quidem audeant Reformati. Scripſit ad Turcarum imperatorem Neuſerus, fateor; ſed quia litterae, quod ego ſciam, numquam publici iuris factae ſunt, incertum eſt, num ſuffecerint probando perduellionis propoſito. Quid ſi Neuſerus hoc ſolum ſcripſerit, ſe ex ciuitate ſua in Turciam migraturum, vbi loqui liberius liceret? Sane id ſcribi non vetat ius naturæ, ceu Grotius docuit ſecundo de iure belli cacite v §. 24. Dicamus autem, iure ciuili id interdictum fuiſſe; numquid ſola voluntatis tranſeundi ſignificatio illico capitale ſupplicium meruerit? Et contineant tandem Neuſeri litterae perduellionis indicia; quid hoc ad Syluanum, quem Reformati quidam ob Arianiſmum ſublatum dixere, nulla perduellionis mentione facta. Sereniſſimus Princeps, Ioannes Caſimirus, qui theologos noſtros non diu a Syluani ſupplicio e Palatinatu eiecit, quum Zimmermanno aliisque coram exprobraret, quod theologis Reformatis Arianam doctrinam tribuiſſent, dicebat; D. Zimmermann wüſte ſelbſten wohl / wie etwan die Arrianer wären in Churf. Pfaltz geſtrafft worden. Et Hebererus in ſeruitute AEgyptiaca: Dieſer Erzehlung thue ich mit ſonderm Fleiß etwas weitläufftig hier gedencken zum fünfften / zu Rettung der wahren Evangeliſchen Lehr / ſo etliche Calviniſch / etliche Zwingliſch nennen / und dieſelbe Lehr bezüchtigen / als wenn ſie es mit den Arrianern hielte / wie ſolches noch wohl von Gelehrten / aber aus lauter Neid und Haß ausgeſprenget worden / da doch in dieſer erzehlten Hiſtori weit ein anders erwieſen / auch des Neuſers Mitgeſellen Enthauptung zu Heydelberg öffentlich bezeuget / daß man den Arianiſmum, als eine auffrühriſche Gotteslaſterliche Ketzerey mit dem Schwerd verfolgen ſoll / wie uf dem Marckt zu Heydelberg den 13 Decemb. Anno 1572 öffentlich geſchehen. Omitto alia Reformatorum teſtimonia, quod iis non opus ſit, ac vel ſupplicia Serueti ac Gentilis, quibus perduellionis crimen nulla probabili ratione obiectum eſt, euincant.

Re-

*B. noſtrates* im wahrhafftigen Bericht von Veränderung der Religion zu Heydelberg *pag.* 143.

*Heber pag.*

Reformatos Socinianam haereſin olim gladio coërcendam duxiſſe. Qua in re num recte iudicauerint, non patitur Grynaeus a nobis diſputari. Scribit enim in Apologia aduerſus Iacobum Andreae: *Non is eſt Iacobus Andreas, nec vnquam erit, vt eius ſit noſtris magiſtratibus praeſcribere; quomodo cum haereticis agendum.* *part. 2. diſſ. theol. p. 109.*

III. Ceterum merito fatemur, Syluani errores impia in Chriſtum dicteria, ſeductionem incautorum, nec non alia quaedam habuiſſe coniuncta, quibus cauſſa eius omnino durior redderetur. Illa vero Arnoldus more ſuo reticuit, de Syluano hæc pauca prolocutus: Es wird erzehlet / daß in der Pfaltz ein Socinianer/mit Nahmen Syluanus, auf Bezae Anſtifften enthauptet worden. *P. II. p. 408.* Scilicet opera danda erat, ne quid dicat a Sandio praetermiſſum. Is enim quattuor verbis rem omnem complectitur: *Ob religionem capite mulctatus eſt.* *bibl p. 60.*

## CAPVT X.

Cvm Arnoldus Parte II cap. XIII §. 12 vbi Stanislai Lubieniecii, ſaepe a nobis memorati, vitam deſcribit, ſingularem corruptae veritatis imaginem hiſtoriae ſuae impreſſerit, ac de genere mortis prorſus tacuerit; apponemus hoc loco, quae vir quidam celeberrimus Hamburgo nuper ad nos transmiſit:

1. Hat ſich Lubienietzki allhier vor einen Königlichen Däniſchen Reſidenten ausgegeben/auch ſeinen Rang über die Graduirten genommen. Nachdem aber Herr L. Edzardi gewiſſe Nachricht vom Däniſchen Hofe erhalten / daß Lubienietzki nichts mehr/als ein Aviſen-Schreiber wäre / iſt ihm niemand mehr gewichen.

2. Iſt er in Hamburg vor keinem Sociniano gehalten worden/und hat die probation gern ſchwer machen wollen/biß er ſich endlich ſo verloffen/ daß er in der Praefatione Comm. Poſthumorum in pleroſque N. T. libros den Socinianer Schlichtingium inuictum Heroa ac Satanae mundique victorem genennet/ da Er ſich denn mit ſeinem leugnen nicht weiter behelffen können.

3. Hat er ſich als Pohlniſcher Reſident allhie manuteniren wollen. Nachdem aber von hier hinein geſchrieben/ und der Pohlniſche Hoff erſuchet worden/ daß weil in Pohlen die Sociniani vor infam erkläret/ man doch dieſe Stadt nicht mit einem homine infami beläſtigen möchte/ iſt ein andrer/ Nahmens Herr Salomon/ ſo Reformirter Religion geweſen/ Reſident geworden.

4. Daß Arnold ſeine erudition ſo heraus ſtreichet/ hat er keine Urſache; wie denn des Gros-Hertzogs von Florentz Leib-Medicus von ſeinem Theatro Cometico alſo iudiciret/ es beſtünde das Buch in dieſen wenigen Worten. Hic dicit haec, ille dicit illa, iſte dicit iſta. So hat er ſich auch mit Herrn L. Edzardi in kein Colloquium einlaſſen wollen/ auch da ſein Sohn durch GOttes Gnade/ von Herrn L. Edzardi in praeſentz Ihr. Durchlauchtigkeit des Herrn Langravens von Heſſen Homburg dergeſtalt in die Enge getrieben worden/ daß der Herr Landgrav die Worte gegen ihn gebraucht/ **wie ſtehet ihr nun wie ein** *&c.* (ſalua venia) **ſonſt wollet ihr uns alle toll machen/ wenn wir allein ſind/ lauffet hin/ holet euren Vater**/ und der Sohn darauf hingangen/ hat er doch nicht kommen wollen.

5. Daß er in Dennemarck die Geiſtlichen ſoll eingetrieben haben/ iſt eine grobe Socinianiſche Unwarheit. In ſpecie iſt bekandt/ daß Herr Pfeiffius, den Arnold ex vita Lubieniecii Pheis nennet/ ihn eingetrieben habe.

6. Seinen Tod belangend/ ſo haben er und ſeine zwo Töchter Gifft bekommen/ daß die Finger ſchwartz geworden/ und ſie elendiglich daran geſtorben. Hierauff hat einer ſeiner Confidenten der viel mit ihm umbgangen/ auf der hohen Treppen mitten im Dom oder Thumb ſich ſelbſt erſchoſſen.

7. Sonſt hat auch Lubienietzki ſeiner Kinder Praeceptorem, der ein gebohrner Lutheraner geweſen/ mit dem Sociniſmo inficiret gehabt. Nachdem Er aber etliche Stunden bey dem Herrn L. Edzardi geweſen/ iſt er einige Wochen darnach zu Altona in vera inuocatione Filii DEI, vt DEI ſummi & aeterni geſtorben.

DIS-

# DISSERTATIO QVINTA
DE
# PICTVRA TESTE VERITATIS SVB PAPATV.

§. 1. *Imagines biblia laicorum.*
§. 2. *Deinde clericorum.*
§. 3. *Quos monebant de ſubtracto calice eucharistico.*
§. 4. *De antichriſtianismo aulae Romanae.*
§. 5. *De vitiis plerorumque monachorum.*
§. 6. *De Lerna malorum a papis ortorum.*
§. 7. *De abuſu horarum canonicarum.*
§. 8. *De ineffabili quorumdam pontificum faſtu.*
§. 9. *De ſententia ipſos in iudicio extremo manente.*
§. 10. *De ingluuie monachorum plebi perquam moleſta.*
§. 11. *De monachorum hypocriſi & artibus, vbi luſus Agrippae de ortu cucullae monachorum.*

§. 12. *Idololatrica de Antonio verba publice a Pontificiis approbata.*

§. 13. *Abuſus in miſſa ſimulachro notati.*

§. 14. *Statua Senenſis Ioannae papiſſae.*

I.

*lib. 1 de conſ. euang. c. 10.*

QVAMQVAM Auguſtinus non immerito Chriſtum in pictis parietibus quaerendum negat; tamen Gregorius Magnus, & qui poſt eum plenum caeremoniis eccleſiae Romanae imperium ſunt aſſecuti, numquam non maiorem, quam quisquam olim exiſtimaſſet, curam imaginibus conſueuerunt impendere, partim vt paganos, veluti quadam externi cultus ſimilitudine, in Chriſtianae religionis beneuolentiam traherent; partim vt litterarum ignaris rerum a Chriſto & apoſtolis geſtarum magnitudinem vtcumque adumbrarent. Etenim *dum nobis pictura: quaſi ſcriptura, ad memoriam filium Dei reducit, animum noſtrum aut de reſurrectione laetificat, aut de paſſione demulcet. Quin imo quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis pictura: quia in ipſa legunt, qui litteras neſciunt. Vnde & praecipue gentibus pro lectione pictura eſt.*

*Gregor. l. 7 ind. 2 ep. 53.*

II. Dolendum vero, ſuperioribus ſeculis adeo inualuiſſe opinionem non valde laudandam de imaginibus bibliis laicorum, vt cura erudiendae plebis fere picturis vnice demandaretur. Quod inſtitutum ea populi inſcitia conſecuta eſt, vt ſacris litteris ac Chriſti diſciplina non

tam

tam contemtui habitis, quam ignoratis, imaginibus magna ſuperſtitione inhaereret, easque non iam pro bibliis, ſed ferme pro diis haberet. Inde autem multum vtilitatis capiebant clerici, omnia ſub iugum mittebant, extruebant palatia, aluum explebant, ac nihil non gerebant pro dominandi viuendique libidine. Etſi autem foedam eorum improbitatem multi laici improbabant; tamen qui id palam faceret, voce vel ſcripto flagitiis occurſurus, non facile reperiebatur. Hinc cunctis fere tacentibus, ac ſeruitutem ſatis modeſte ferentibus, parietes tandem locuti ſunt, inverſoque rerum ordine factum eſt, vt imagines eſſent biblia clericorum, e quibus colligerent, quod in ſacro codice ſine fructu legere conſueuerant.

III. Quippe pictores, aut potius a quibus illi ſubornabantur viri prudentes, cleri Romani errores vitiaque incuſaturi, lapidibus ac picturis vtebantur, quibus ſe ab eorum inſtitutis diſſentire oſtenderent. Ita Calixtini in Bohemia calicem euchariſticum, Laicis a pontifice ſubtractum, in vexillis, in templis, in aedibus pingebant, vnde verſus:

*Tot pingit calices Boiemorum terra per vrbes,*
*Vt credas Bacchi numina ſola coli.*

Extat in epiſtolis Aeneae Syluii dialogus contra Taboritas, *num.* 130.
ex quo apparet, in ipſa vrbis Tabor porta calicem fuiſſe depictum. *In exteriori*, inquit Syluius, *ciuitatis porta duo fuerunt ſcuta. In altero pictura erat angeli calicem tenentis, quaſi communionem ſub ſpecie vini ſuaderet populo.*

IV. Paullo ante haec tempora, anno nimirum CIↃ CCCCIV. Pragam venerunt duo Angli, theologiae baccalaurei, Iacobus quidam & Conradus Candelburgius, de quibus haec refert hiſtoria perſecutionum eccleſiae Bohemicae cap. VIII. *Albo academiae inſcripti publice contro-*

*verſias de papae primatu ſimilibusque mouere coeperunt: paullo poſt tamen publico interdicto id facere prohibiti. Illi igitur, vt quod hominibus non licebat, liceret parietibus, in coenaculo habitationis ſuae, hoſpite conſentiente, depingi curant, altera quidem parte paſſionis Chriſti hiſtoriam, ex oppoſito autem pompam aulae papalis cardinaliumque. Cuius picturae cum Iohannes Hus in concionibus faceret mentionem, tamquam verae Chriſti & antichriſti antitheſeos, confluebat eo ſubinde populus ſpectandi cauſſa.* Zacharias Theobaldus de bello Huſſitico parte I cap. III explicatius hoc narrat: Sie wohnten/ inquiens, in der neuen Stadt Prag bey Lucas Velensky/ welchen ſie baten/ daß er erlauben wollte/ damit ſie etwas in den Saal mahlen lieſen/ der Wirth/ wegen ſeines Hauſes Zier/ iſt zufrieden: ſie aber lieſen auf einer Seiten des Saals Chriſti Einzug zu Jeruſalem mahlen/ wie er vor ihm ſchlecht Volck und Kinder mit Oel-Blätlein hat/ er aber ſitzet demüthig auf einer Eſelin/ hinter welchen ſeine Jünger barfüßig folgeten. Auf der andern Seiten hieſen ſie den Pabſt mahlen/ welcher vor ihm Heerpaucken/ Trommeten/ Soldaten mit Spießen/ Helleparten hette/ er ritt auf einem hohen/ von Silber/ Gold/ Edelgeſtein wohlgeputzten Hengſt/ hinter welchem die Cardinäl auf gleichen Roſſen in güldenen Stücken herprangeten. Solchs Gemählde weiſeten die Engelländer dem gemeinen Mann/ es lobet es auch in ſeinen Predigten Huß/ darum ihrer viel auf den Saal lieffen/ es zu beſehen/ daher offtmahls ein Zanck zwiſchen denen/ die es lobten/ und denen/ die es läſterten/ entſtundt/ wäre auch den Engelländern/ welche es zum Valet machen laſſen/ nicht wohl gangen/ wo ſie ſich nicht aus dem Staub gemacht.

*conf. Walpurgeri Huſſus combuſt. P. I p. 10.*

V. Tu-

V. Tubingenſem picturam, ne quid addere videamur, diligentisſimi ſcriptoris & teſtis oculati, Theodori Bezae, verbis deſcribemus. Ita inquit epiſtola LXXXI. *Tubingae in aula coenobii, quod nunc illuſtrisſimus Princeps VVirtembergenſis otioſis aſinis ademptum, ſtudioſis alendis hominibus conſecrauit, vetuſta extat pictura pone ipſas fores, totum monachiſmum accuratisſime ob oculos proponens. Monſtrum eſt cucullatum, per gradus veluti ſeſe praecipitans, altero pede ceruino, ſi bene memini, vt veloces eſſe illius pedes ad male agendum intelligas. Alterius pedis vicem gerit inuerſa lucerna, vt monachismi ortum & progreſſum mera doctrinae lucis euerſione niti ſcirent ſpectatores. Manus habet aduncas & rapaces: quarum vna impoſitum humeris ſaccum retinet, orphanorum nimirum & viduarum facultates: altera circulum geſtat ex precatoriis illis globulis mirabiliter conſertum: ſiquidem prominoribus illis, quos AVE MARIA vocant, ſunt abaci tabulae orbiculatae: et pro denis illis maioribus, quos PATER NOSTER appellant boni iſti patres, ſinguli ſunt taxilli, pulchre cum tabulis illis cohaerentes. Sinum habet oppletum luſoriis chartarum foliis: cucullam a tergo, plenam illis nouem metis pyramidalibus, vna cum globo, quo ad illas deiiciendas vulgo vtuntur, vt qua in re vitam illi conſumere ſolerent longarum precum praetextu, domos etiam regum exhaurientes, nullus ignoraret. Collum eſt oblongum & aſininum, vt beſtiarum more ventri deditos eſſe nemo neſciat. Menti vicem praebet quaedam cyathi forma ſatis conueniens. Naſum facit canis caudam attollentis ſpecies, cuius caput latranti ſimile praeſtat etiam ipſi monacho capitis vicem, optime ſane monachorum latratus ſimul & ingluuiem inexplebilem referens. Denique a tergo deſinit*

*dorſi ſpina in contortum lituum, ex quo cum fumo quodam extruſus monachus, rapacibus pedum ac manuum vnguibus, ad menſam quandam aſſidens, numerata pecunia indulgentias vna manu, altera vero κυβώτιον, quod barbare ciborium appellant, in quo illorum fatale cruſtum, continetur, porrigit.*

VI. Tradit ibidem Beza, in ipſo pene Auguſtinianorum Geneuenſium veſtibulo fuiſſe picturam Iaphredi cuiusdam Taurinenſis pictoris, opera ante reformationem eccleſiae adornatam, quae retulerit hydram ſepticipitem ſuſpenſo in aero throno inſidentem, ſubſtrata nudi Papae Romani, triplici diademate exornati, ſpecie, ex pube infulas, peda epiſcopalia, bullas, pontifices denique ipſos, egerentem, ſubiecta fornace, quae vtrinque a daemonibus eumdem illum thronum circumſtantibus accenſa, miſeros illos decidentes exciperet.

VII. In ſummo Argentoratenſium templo extat de horarum canonicarum abuſu ſingulare ac verisſimum testimonium, quod Ioſua Schadaeus ita deſcribit: Alleroberſt im Gewölb des Chors iſt das iüngſte Gericht gemahlt/ und beſſer unten gegen dem euſſern Umbgang in 4 Schwibbögen ſind 4 Manns-Bruſtbilder gemahlt/ wleche geſchriebene Zedel um die Arm gewunden und in Händen haben/ darunter das eine des Propheten Eſaiae Bildniß/ ſo mit zweyen Fingern herab ins Chor weiſet. In ſeinem Zedel ſtehet mit groſſen alten Verſal-Buchſtaben der Spruch aus dem 29 Capitel geſchrieben: Populus iſte appropinquat ore ſuo, & labiis ſuis glorificant me, cor autem elonge eſt a me. Welches alles im Jahr Chriſti 1486 dahin geſchrieben und gemahlt worden. Daraus zuver-

Beſchreibung des Münſters *p. 54.*

vernehmen/was man ſchon dazumahl von des Babſts Gottesdienſt gehalten.

VIII. Pontificum in imperatores Romanos amorem multis olim imaginibus adumbrarunt viri graues, e quibus vnam ſaltem afferam, non meis tamen, ſed celeberrimi viri, Ioannis Fabricii, teſtis oculati verbis. Ita autem ſcribit in oratione de vtilitate, quam theologiae ſtudioſus ex itinere capere poteſt Italico: *Venetiis in veſtibulo templi D. Marci lapis loquitur quadratus, quid Papa Alexander III fecerit Friderico Barbaroſſae, imperatori, quod nimirum in terram ibi proſtratum monarcham pede conculcauerit, verbis hiſce adiectis: ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Quae hiſtoria ſapientiſſimorum Senatorum iuſſune dicam an permiſſu? denuo depicta cernitur in auguſtiſſimo Palatii Ducalis loco, qui conſilium magnum dicitur, & iuſtitiae, quae veritatem complectitur, ſedes eſt. Ipſa autem pictura, vt curioſitati veſtrae ſatisfaciam, ita ſe habet: Papa ſtans, brachiisque a Venetorum Duce & cardinale quodam ſuffultis, pede ſiniſtro ceruicem imperatoris gradibus ſolii Pontificii incumbentis comprimit, in eumque, quaſi hoc ipſi agendum eſſet, ſuperbos oculos intendit, maxima hominum multitudine ſacram tragoediam pariter ſpectante.* p. 9.

IX. In curia Baſileenſi anno CIↃ IↃX depictum eſt, hodieque apparet iudicium extremum, vbi lata ſententia diabolus quosdam, in quibus eſt vnus Pontifex & nonnulli clerici, in infernum agit. *celeberr. Burnet. itin. Ital. Part.* II p. 250.

X. In ſuggeſtu Kilonienſi habetur imago ante reformationis tempora facta, qua miſer quidam ruſticus

manu ſiniſtra bipalium humeris impoſitum tenens; dextra monachum craſſum, & permagno loculo ſportaque onuſtum, poſt ſe trahens exhibetur. Qua pictura (cuius mihi copiam fecit vir laudibus noſtris maior, D. Samuel Reyherus, ſingulare Kilonienſis Academiae ornamentum) deſignari puto monachorum, magnam partem ſocietati ciuili ſi non noxiorum, certe inutilium ingluuiem, quibus ſuperſtitioſa plebs victum multo ſudore cogitur parare.

XI. Fallendi ſtudium artesque monachorum dubio procul adumbrare voluerunt illi, quorum iuſſu diabolus, Chriſto inſidias ſtruens, cucullo monachi & precatoriis globulis, quos roſaria vocant, paſſim depictus cernitur. Quem diaboli habitum etiam reperire licet in bibliis Latinis anno CIↃ IↃXL. Pariſiis impreſſis, ne dicam de priuatarum aedium imaginibus. Facit huc luſus Henrici Cornelii Agrippae de vanitate ſcientiarum capite XXV quod de ſtatuaria agit & plaſtica. *Ineſſe*, inquit, *picturis atque ſtatuis non contemnendam autoritatem, ego olim in Italia didici: nam cum fratres Auguſtiniani cum canonicis regularibus coram Romano pontifice de beati Auguſtini habitu, videlicet nigramne ille ſtolam ſuper alba tunica, an candidam ſuper nigra induiſſet, pertinaciter litigarent, atque ex ſcripturis, quod ad hanc litem dirimendam faceret, nihil compertum haberetur; viſum fuit Romanis iudicibus rem ad pictores & ſtatuarios delegare, vt quod illi ex vetuſtis picturis atque ſtatuis adſererent, ſententiae haberet vigorem. Hoc exemplo confirmatus ego, cum aliquando indefatigata diligentia monachalis cucullae originem inueſtigarem, nec quicquam inde ex ſcripturis inuenire potuiſſem,*

*tan-*

*tandem ad pictores me contuli, atque in iſtis fratrum procoeſtriis atque porticibus, vbi vtriusque teſtamenti hiſtoriae vt plurimum depictae cernuntur, rem perquiſiui, cumque in toto vetere teſtamento nullum ex patriarchis, neque ex ſacerdotibus, neque ex prophetis, neque ex Leuitis, neque Heliam ipſum, quem licet Carmelitae ſibi faciunt patronum, inueniſſem cucullatum: nouum teſtamentum adgreſſus inveni illic Zachariam, Simeonem, Ioannem Baptiſtam, Ioſeph, Chriſtum, apoſtolos, diſcipulos, ſcribas, phariſaeos, pontifices, Annam, Caypham, Herodem, Pilatum, & pleresque alios: nullam vspiam conſpexi cucullam, rurſusque ab initio omnia & ſingula diligenter examinans mox in ipſa fronte hiſtoriae ſeſe offert cucullatus diabolus, ille videlicet, qui erat Chriſtum tentans in deſerto. Gauiſus ſum plurimum, reperiſſe me in picturis, quod hactenus nequiui in litteris, diabolum ſcilicet fuiſſe primum cucullae autorem, a quo deinceps, puto, caeteri monachi & fratres hanc ſub diuerſis coloribus mutuarunt.*

XII. Breuitatis ſtudio mitto plurima huius generis. Non poſſum tamen non idololatricas imagines Patauinas ex occaſione hoc loco commemorare, Pontificios omnes, qui idololatriae reatum tot libris deprecantur, liquido conuicturas. Sancti Antonii capella multis imaginibus exornata eſt, quibus omnia eius miracula repraeſentantur. Ad quas vt frequentiores fiant populi concurſus, ante capellam conſecrata quaedam tabula ſuſpenſa eſt, qua docemur, quam de Antonio opinionem per imagines populo velint inſtillatam. Haec enim prorſus idololatrica verba inſcripta habet: EXAVDIT, QVOS NON AVDIT ET IPSE DEVS. Legit haec paucis abhinc *Burnet.*

*tin. Ital. P. II p. m. 21.* hiuc annis vir ſummus, Gilbertus Burnetus, ne alios afferamus.

XIII. Non ſolum autem pictores, ſed & ſtatuarii de abominandis Romani cleri vitiis, & abuſu rerum ſacrarum, olim teſtimonia non ſpernenda perhibuere. Notiſſimum eſt in ſummo Argentoratenſium templo monumentum, de quo Schadaeus: Gegen der Cantzel über in der Höhe / da die Adelichen Schild hangen / am Umgang bey den Fenſtern findet man im Capital einer Säulen in Stein gehauen einen Eſel / der Meß machet / dem andre wilde Thiere zu Altar / dienen / desgleichen tragen die Bären und Säu ein Heiligthum / darauf ein Fuchs lieget / dieſelben tragen auch Kertzen und Wey-Keſſel: wie aus dieſer Figur zu ſehen. Welches Anno 1298 nach Chriſti Geburth / als der Umgang nach der groſſen Brunſt gemacht worden / ein Steinmetz nicht ohne Urſach dahin geſetzt hat. Solches monumentum iſt auch vor Jahren in Holtz geſchnitten / und mit einer ſchönen Auslegung Reimens-Weiſe durch D. Johann Fiſchart / genannt Mentzer / in Druck gegeben worden.

*l. c. p. 57 ſeqq. conf. Beza l. c. Burnet. P II p. 271.*

XIV. Ioannem papiſſam paſſim ſtatuis repraeſentarunt veteres Romae, Bononiae & praecipue Senis, vbi in ſummo templo inter reliquos pontifices ſeculo non vno conſpicua fuit, addito nomine: *Ioannes VIII foemina de Anglia.* Fatentur rem omnem pontificii, & miſeris effugiis obtentum quaerunt. *Statua templi Senenſis*, inquit Natalis Alexander, *Papiſſam quidem referebat, ſed ſculptoris errori & licentiae, ac nimiae Senenſium conniuentiae tribuendum eſt, illudque Horatii reuocandum in memoriam:*

*Diſſ. 3 in hiſt. eccl. ſec. 9 & 10 p. 86.*

*- - Pi-*

*- - Pictoribus atque poetis*
*Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas.*

*Nec mirum, quod ſculptor foeminam inter pontifices effinxerit, cum eam Baptiſta Mantuanus, ordinis Carmelitarum Prior Generalis, ſtylo poetico adumbrarit, ita canens:*

*Hic pendebat adhuc ſexum mentita virilem*
*Foemina, cui triplici Phrygiam diademate mitram,*
*Extollebat apex, & Pontificalis adulter.*

Verum reſpondet Natali Spanhemius in diſquiſitione hiſtorica de papa foemina: *Cogitet aliquis ſummae iſtius Baſilicae ſanctitatem; dignitatem vrbis Senenſis, quae ſeueriſſimis pontificibus Gregorio V I I Alexandro I I I, Pio I I dein Pio I I I Paulo V natalis fuit; tempus denique, quo ea ſtatua inter pontificias alias ſuo ordine & loco ſtetit, nomine Ioannis V I I I. Reputet inſuper cum animo ſuo, non interceſſiſſe ſanctiſſimos (ſic illi) Pontifices, erectioni foedi iſtius aeternique monumenti Papae foeminae; neque ſagaciſſimum alias Pium I I cui, Aeneas quum eſſet, Iohannem exprobrauerant Bohemi, iuſſiſſe probroſum Romanae eccleſiae nomen Senenſi e baſilica tolli. Et arbitretur, qui aequus eſt, an rei tam portentoſae, ex fabellis natae, tantique probri a Graeculis in Rom. eccleſiam iactati, paſſuri fuiſſent pontifices, cardinales, praeſules, clerus omnis, extare authenticum lapidem, atque aeternam imaginem, inter reliquas pontificum? Paſſi vero, quia de facto nimis, quam Romae conſtabat. —— Fabulam ſi habuiſſet Syluius, annon pontifex factus remouiſſet ab oculis & memoria hominum foediſſimum ſpectaculum, & a ſanctiſſimo quidem loco, in quo ampliſſimam ipſe bibliothecam, & alia natalis ſi-* p. 97 ſeqq

*l. c.* *bi ſedis Monumenta poſuit?* Ceterum, refert Natalis, Clementem VIII ſtatuam e templo Senenſi deiici auferrique iusſiſſe, remque confectam eſſe cura Baronii cardinalis. *ap. Spanhem. p.* 101. Verum Launoius, vir eruditus & candidus, fatetur, Ioannae ſtatuam adhuc anno MDCXXXIV conſpici Senis potuisſe ab his, qui oculis capti non eſſent. Ac nuper demum *Mabill. itin. Ital. p.* 159. *ſq.* Ioannes Mabillonius faſſus eſt, ſupereſſe ſtatuam, ſed mutatis formae muliebris lineamentis ex foemina factam ZACHARIAE Pontificis figuram, appoſito ZACHARIAE nomine. Patet igitur, Baronio illuſum fuiſſe, qui ſibi ob disiectam ſtatuam gratulatus eſt, olim in litteris ad Florimundum Raemundum, ſenatorem Burdegalenſem: id quod ſilentio premit Natalis Alexander in illa, quam aduerſus papiſſam compilauit, diſſertatione.

*F I N I S.*

IN-